MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80749-4

AUTHOR:
MEIER, MORITZ HERMANN EDUARD

TITLE:
[COMMENTATIO THEOPHRASTEO]

PLACE:
HALAE

DATE:
[1835-1850]

Master Negative #

92-80749-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Meier, Moritz Hermann Eduard, 1796-1855.
[Commentatio Theophrastea] Halae, typis Hendelianis, [1835-1850.]
pts. 2-4 in 1 v. 26 cm.

At head of title: Index scholarum in Universitate litteraria Fridericiana Halensi... per hiemen... 1834-[1850]...

Ref. Engelman, W. Bibliotheca scriptorum classicorum.

 --- --- pt. 5, 1851

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 1/2X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/21/92 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI ꟾↃꟾↃCCCXXXIV – ꟾↃꟾↃCCCXXXV

INDE A DIE XX OCTOBRIS USQUE AD DIEM XI APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

HALAE,
TYPIS HENDELIANIS.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
PRORECTOR
ERNESTUS FREDERICUS GERMAR
CUM
DIRECTORE ET SENATU
S. D.
CIVIBUS SUIS.

Exclusis tempore cum nobis in praesentia non liceret pertexere, quod nuper exorsi sumus, et cogeremur commentationem de Attica gentilitate inchoatam modo in aliam opportunitatem differre, visum est tamen, ne plane asymboli veniremus et ut more maiorum vos quibusdam quasi praeludiis vel primordiis coenae ad lautiores dapes invitaremus, delibare quaedam ex eorum numero, quae sua se sponte nobis obtulerunt, cum familiari interpretatione Theophrasti librum explicaremus, quo morum notationes perscripsit. Ita licebit et promissis stare, quae tum apud vos [1]) ante aliquot annos, tum nuper alibi [2]) promisimus, et virilem partem ad scriptorem emaculandum conferre, qui cum sua virtute dignissimus ſit ut perpurgatus prodeat, hominum et temporum iniuria eam labem, eam maculam suscepit, ut paene ſordescere videatur. Quas vero nunc αὐθαδείας, δεισιδαιμονίας, μεμψιμοιρίας et ἀπιστίας notationes expedire constituimus, in his ita versabimur, ut neque quod Fossii [3]) nostri erudita et ingeniosa commentatione ſatis iam videatur effectum esse, id amplius in dubitationem vocari patiamur, neque omnia persequamur quae expolienda in illis ſupersint characterismis, ſed ſatis habeamus percensere in quibus vidisse aliquid nobis videmur.

Αὐθάδειαν autem quum Theophrastus ita definiat, ἡ δὲ αὐθάδειά ἐστιν ἀπήνεια ὁμιλίας ἐν λόγοις, interpretes duobus postremis vocabulis litem intenderunt, et alii tamquam de glossemate suspecta cancellis incluserunt, alius ἑνὶ λόγῳ in iis latere opinatus est. Eorum commentorum alterum et loco refellitur, cum transpositione opus ſit, ἡ δὲ αὐθάδειά ἐστιν ἑνὶ λόγῳ ἀπήν., et contra usum reliquarum notationum pugnat, in quibus quidem ὡς τύπῳ λαβεῖν, ὡς ὅρῳ λαβεῖν, ὡς ὅρῳ περιλαβεῖν, ὡς ὅρῳ εἰπεῖν, εἴ τις αὐτὴν ὁρίζεσθαι βούλοιτο nonnumquam finitionibus adduntur, ἑνὶ λόγῳ numquam additur. Suspecta vero qui volunt esse, duas prae ſe ferunt rationes, unam quod in Florentino libro non extent, alteram quod in hoc characterismo quaedam legantur quae ad rerum potius quam ad verborum morositatem pertineant; id igitur additamentum intolerandum esse, nisi etiam καὶ ἐν πράξεσι addatur; erat, qui ieiunum quoque diceret, quo quidem nomine ſatius erat omnino abstinere. Sed nos neque uni libro tantum tribuimus, ut qui optimus non ſit, eum reliquis omnibus conspirantibus, quibuscum etiam ſcholiasta Sophoclis [4]) faciat, praeferamus; neque ad eam excusationem refugimus, qua fere Hottingerus usus est, qui „*praecipue* verborum" interpretatur; nam nihil quidquam in tota descriptione reperitur, quod finitioni illis duobus vocabulis auctae repugnet; nisi forte arbitrere ἀπήνειαν ὁμιλίας ἐν λόγοις non esse, cum quis plane abstinet dicendo (καὶ τοῖς θεοῖς μὴ ἐπεύχεσθαι), aut non verbis negare, qui id rogantibus negat, quod

[1]) Cf. *Indic. Scholar.* a. 1830. [2]) Cf. *Allgem. Lit. Zeit.* 1834 p. 328. [3]) De Theophrasti notationibus morum commentatio prima 1834 4. [4]) Oedip. Reg. 54. Erfurdt.

rogare communis humanitatis, petenti non concedere insignis rusticitatis est (καὶ οὔτε ᾆσαι οὔτε ῥῆσιν εἰπεῖν, οὔτε ὀρχήσασθαι ἂν ἐθελῆσαι, nam οὐκ ἐθελῆσαι est negare); aut denique eum qui dicitur non diu posse quemquam expectare (καὶ ἀναμεῖναι οὐκ ἂν ὑπομεῖναι χρόνον οὐδένα) morae impatientiam credis apud ſe et animum ſuum recondere neque oratione expromere. Tot verbis opus erat, ut ipsa αὐθαδείας definitio ab doctorum hominum vindicaretur reprehensionibus. Eo brevius licebit duos tresve locos eiusdem notationis expedire, qui male habiti videntur; nam cum inter αὐθάδους notas etiam haec ponatur, καὶ ὠνῶν τι μὴ λέγειν τοῖς ὠνουμένοις πόσου ἂν ἀποδοῖτο, ἀλλ' ἐρωτᾶν τί εὑρίσκει, quattuor postrema vocabula offensioni omnibus fuerunt, offensam removendi probabilem viam nemo, ni fallimur, quisquam inivit; quare licebit novam periclitari et coniicere: ἀλλ' ἐρωτῶντι ἐφυβρίζει, empturis αὐθάδης non narrat [ſc. ſimpliciter] pretium, ſed interroganti contumeliam dicit, id est ita respondet, ut insit responsioni contumelia. Transitus ex plurali (ὠνουμένοις) in ſingularem (ἐρωτῶντι), ex infinitivo (λέγειν) in tempus finitum (ἐφυβρίζει) in his characterismis admodum frequens. — Sequitur, καὶ τοῖς τιμῶσι καὶ πέμπουσι εἰς τὰς ἑορτὰς εἰπεῖν, ὅτι οὐκ ἂν γένοιτο διδόμενα. Haec etsi omnium est librorum ſcriptura, editores tamen alii coniecerunt οὐκ ἄν γ' ἕλοιτο, alii οὐκ ἂν γεύοιτο διδομένου, vel διδομένων, denique alii aliud voluerunt, quorum nihil cadere in morosum non opus est demonstrare, cum ſana omnia ſint, ſi quidem ea in hunc modum interpretere: „ſi qui vero ei officii et observantiae caussa dona ad ſollemnia mittunt, his respondet: haec vereor ut dono ſint data, neve brevi munere petatur amplius „Das dürfte wohl nicht geschenkt ſein." Additur nota haec, καὶ οὐκ ἔχειν συγγνώμην οὔτε τῷ ἀπώσαντι αὐτὸν ἀκουσίως οὔτε τῷ ὤσαντι οὔτε τῷ ἐμβάντι. In his cum ἀπώσαντι et ὤσαντι ſimul ſtare non possint, alii alterutrum deletum iverunt, alii eius loco vel τρώσαντι, vel παίσαντι vel χρώσαντι coniecerunt, quorum ſingula aut iusto fortiora aut ab litterarum vestigiis magis quam par est, recedere videntur; tu vide ſcribendumne ſit, οὔτε τῷ ἀτίσαντι vel ἀτιμήσαντι αὐτὸν ἀκ. „neque ignoscit ei qui ſe invitus vel neglexit (ſive ignominia affecit) vel pulsavit vel calcavit."

Superstitionis characterismus tribus fere nominibus totus est in ſuspicionem vocatus. Nam primum δεισιδαιμονίας vocabulum ab antiquioribus ſcriptoribus in bonam partem acceptum, ut verum deorum metum, veram deorum pietatem et religionem ſignificaret, neque ante Polybium in peius esse deflexum, ut de ſuperstitione ſive de inani deorum metu diceretur. Illud uno ſatis refutatur Menandri exemplo, qui fere viginti annis ante Theophrastum diem obiit ſupremum; in ea enim fabula, cui Δεισιδαίμονα inscripsit, non religionem ſed ſuperstitionem perstrictam esse cum alia docent, tum illud ſuadet, quod ex Antiphanis Oeonista expressam eam fabulam esse Caecilius testatur [5]). Scilicet est perversi ſaeculi, ut non minus vitium virtutis laude glorietur et blandis nominibus ſibimet ipsum plaudat, quam virtutis nomen in vitium abeat. [6]) — Multo gravius alterum, quod mimicam quandam ipsius characterismi descriptionem desiderari, et abesse volunt imaginem eius ita adumbratam, qua intellegatur, ſuperstitiosus quem in modum perturbetur rebus, quae aliae aliam ei formidinem et religionem obiiciunt, quid tum ſentiat, quove actu prodat quod ſentit. Quae enim adsint, his referri tantum vanae ſuperstitionis ritus, inanes portentorum et prodigiorum procurandi caeremonias, quarum numerus possit ut augeri facillime, ita numquam aut temere expleri aut cum ipsius characterismi damno imminui. Inest his aliquid; et Theophrastum, qui de diis et divinarum rerum historias perscripserit [7]), probabile est potuisse id praestare, ſi praestare vellet. Sed licuit ſcriptori excusatione uti ex popularis re-

[5]) *Meinecke* Menandri et Philem. p. 41. [6]) Cf. *Thucyd.* III. 82. *Isocrat.* de Antid. p. 123. Orell. Areopag. c. 18. *Plat.* de rep. VIII. p. 560 extr. *Rutil. Lup.* I, 4. *Plutarch.* Sol. 15. *Alcib.* 16.
[7]) *Diog.* L. V. 48.

ligionis, ex ipsius characterismi natura et ingenio repetita; ſuperſtitio enim cum non eo-
rum ſit vitiorum, quae in ὁμιλίαν ſive hominum consuetudinem cadunt, ſed potius quasi
ſolitarium ſit, dramaticam quandam μίμησιν ne pati quidem videtur; ipse autem timor, quo
perterretur ſuperſtitioſus, habet ille gradus, generis diverſitatem non habet; et qui erat
iam ſemel factus apud Athenienses impietatis reus, [8]) Theophraſto condonandum est, quod
ſenex plus quam octogenarius committere noluit, ut ipsis internis ſuperſtitioſi ſensibus adum-
brandis eidem imperitae et mobili plebi iterum religionem imminuere videretur. Quid? quod
hic characterismus ne Palatini quidem libri additamentis in verborum ordinem receptis in-
tegritati redditus ſed aliquid etiam nunc deesse videtur, qua compage fortasse continebantur quae
dispersa nunc ſunt. — Quod vero tertium prae ſe ferunt, inesse quae ab rei veritate ab-
sint, id uno, ni ſallimur, exemplo comprobare conantur, quo ſuperſtitioſus, ſi farinae
ſaccus a mure arrosus est, adire narratur ſacrorum rituum interpretem, et quamquam ab
hoc ferat responsum, tradendum ſaccum coriario esse, qui ſarciat, nihilo magis ei obse-
quitur, immo abominatus interpretem omen ſacrificiis expiat; id abhorrere ab ſacrorum in-
terpretum ingenio, ut ſcite et festive responsis ſuae ipse arti illudat. Nimirum fingunt ſibi
Atheniensium ἐξηγητάς, quales monachi in quibusdam fabulis et historiis romanensibus fin-
guntur; ſed illorum erat longe diversa ratio, quos non ſolum ἐξηγήσασθαι τὰ νόμιμα ſive ri-
tus docuisse ſed nonnumquam etiam συμβουλεῦσαι τὰ σύμφορα ſive ſuasisse, quae e re essent,
Demosthenes [9]) docere poterat; neque respondebant fere, nisi de quibus rebus in libris ri-
tuum perscriptum esset; et animadverte et Demosthenem dicere, ἦλθον ὡς τοὺς ἐξηγητάς,
ἵνα εἰδείην ὅτι με χρὴ ποιεῖν, et Theophrastum, πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν ἐρωτᾷν τί χρὴ ποιεῖν. —
Statim ab initio leguntur ἀμέλει ἡ δεισιδαιμονία δόξειεν ἂν εἶναι δειλία [10]) πρὸς τὸ δαιμόνιον, in
quibus opus non erat δὲ particulam post ἀμέλει de coniectura interponere „quasi id ſermo-
nis ratio in hoc libello postulet," cum ea particula 5, 1. 13, 1. 18, 1. non magis extet.
Sed hoc levius. Prima vero ſuperſtitioſi nota haec est: ὁ δὲ δεισιδαίμων τοιοῦτός τις, οἷος
ἀπονιψάμενος τὰς χεῖρας καὶ περιῤῥανάμενος ἀπὸ ἱεροῦ, δάφνης εἰς τὸ στόμα λαβὼν οὕτω τὴν ἡμέραν
περιπατεῖν. Hic igitur Palatinus liber post οἷος monstrum interponit vocabuli ἐπιχρωνῆν, vel
ἐπὶ χρωνῆν, quod qui tolli iubet, glossema dicens verbi nescio cuius, nodum is maluit dis-
secare quam ſolvendo expedire. Nobis, qui Alexandri non ſumus, expediendi opera ſu-
persedere non licet; ſed cum interpretum alius ἐπὶ κρήνην, alius ἀπὸ κρήνης, Fossius [11]) ἐπεὶ
ἐπὶ χοῶν ἦν proponeret, primum illud non facilem habet grammaticorum filiis explicatum,
et praestaret certe ἐπὶ κρήνης, alterum nimis a litterarum vestigiis recedit, tertium et ἐπεὶ
ἐπὶ concurrentibus ingratissima accidit auribus, et ſuperſtitioſi huius indoli repugnat, qui
cum narretur neque ad ſepulcra neque ad mortuum accedere (οὔτε ἐπιβῆναι μνήματι οὔτε ἐπὶ
νεκρὸν ἐλθεῖν), ne potest quidem ipse ἐπὶ χοῶν εἶναι, ſed quae inferiae debeantur propinquorum
manibus probabile est eum per alios offerre. Illud vero ſatis patet, cum etiam is qui ſuperſti-
tiosus non ſit, manus lavarit, nisi forte plane foedus vel δυσχερής est, ſuperſtitioſum dici
non posse lavare manus, ſed dicendus est ita lavare, ut lavando differat ab reliquis mortali-
bus; dixeris eum ſacra vel lustrali aqua lavare, et huc quoque ex iis quae ſequuntur repeten-
dum esse ἀπὸ ἱεροῦ; ſed hoc ſi voluisset, ſatius erat ἀπὸ ἱεροῦ ἀπονιψάμενος ſcribere; quare credi-
bile est ut lustrandi ita lavandi propriam quandam fuisse ſuperſtitioſo industriam, et hic aut ἀπὸ
vel ἐπὶ κρουνῶν aut ἀπὸ vel ἐπὶ χερνίβων vel aliquid ſimile latere. Ita Menander [12]) ἀπὸ κρουνῶν
τριῶν ὕδατι περιῤῥᾶν. Sed χέρνιβα etsi Homerus de communi dixit et profana aqua, qua manus
lavantur, Attici tamen ſcriptores tantum de aqua lustrali manuum dixerunt in vasis quibus-

[8]) *Id.* V. 37. [9]) c. Euerg. 1160. [10]) Etiam *Hesychius* habet Δεισιδαίμων-ὁ εὐσεβὴς καὶ
δειλὸς περὶ θεούς. [11]) p. 14. [12]) p. 42. Mein.

dam recondita, quibus χερνιβίων nomen erat. Id vocabulum, ſi compendiis erat vel notis
ſcriptum, in illud monstrum abisse, non mirum. Δάφνης vero maluimus retinere quam δάφνην
ex Palatino ſcribere, ſi quidem ramos vel folia lauri non laurum in ore tenet ſuperſtitioſus.
Hoc ille quotidie facit, quod reliqui, nisi postquam aliqua labe polluti ſunt, non faciunt. —
Sequitur, καὶ ἐὰν παραδράμῃ γαλῆ, μὴ πρότερον πορευθῆναι ἕως ἂν διεξέλθῃ τις ἢ λίθους τρεῖς ὑπὲρ
τῆς ὁδοῦ διαβάλῃ, mustela ſi praeterivit, non antea proficiscitur, donec aliquis viam transie-
rit, aut ipse tres lapides ſuper viam traiecerit. Erit igitur ei diu expectandum, nisi ipse
ita valet arte, ut illorum lapidum iactu omnem viam possit ſuperare; ſed fortasse ei ſuc-
currere licet, qui minus valet, et cum δὴ et ἂν ſaepius cum δι confundi palaeographiae au-
ctores doceant, vide ſcribendumne ſit: ἕως ἂν δὴ ἢ ἐξέλθῃ τις ἢ λίθους τρεῖς ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ ἂν
βάλῃ. Nam ἕως δὴ et alii coniungunt et Xenophon. [13]) — Pergit: καὶ ἐὰν ἴδῃ σοφὴν ἐν τῇ
οἰκίᾳ, ἱερὸν ἐνταῦθα ἱδρύσασθαι. Ita reliqui libri; Palatinus vero: καὶ ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐὰν
παρείαν, Σαβάδιον καλεῖν, ἐὰν δὲ ἱερὸν, ἐνταῦθα ἱερὸν [ἱερῷ alii referunt inesse in libro] εὐθὺς
ἱδρύσασθαι. Hoc additamentum qui grammatico deberi vult eruditionem ſuam venditanti,
iam ab Fossio explosus est; ſed quod hic duplex ſerpentium genus indicari videtur, alterum
παρειῶν, quod ſatis est notum, alterum ἱερῶν, quod non est ignotum, Fossius [14]) in ſuſpi-
cionem vocavit; nam repetitum ἐὰν neque graecum et plane ineptum videri; dein ſacrum
ſerpentem Thessaliae proprium fuisse, Theophrastum autem, cum Atheniensibus ſcripserit
et eorum ex urbe ſua derivaverit exempla, non potuisse in ſuperſtitioſum eas conferre
ineptias, quae nisi in Thessalia cerni non possent; neque rationem ſacelli extruendi pa-
tere, nisi ludere verbo vellet ſuperſtitioſus; neque denique ἐνταῦθα habere, quo referretur
commode; ſcribendum igitur videri, καὶ ἐὰν παρείαν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ, Σαβάζιον καλεῖν, ἐὰν
δ' ἐν (vel ἐπ') ἡρῴῳ, ἐντ. ἱερ. εὐθ. ἱδρ. At ſuperſtitioſus hic cum ne adeat quidem ſepulcra,
etiam in ſepulcris nihil conspicere potest, in ſepulcris vero ſacellum extruere etiam iis Athe-
niensium religioni fuerit, qui ſuperſtitioſi non essent. Sed quattuor illis argumentis non ad-
ducimur omnino, ut locum corruptum arbitremur; nam primum ἐὰν et εἰ particulae recte
repetuntur, cum conditionalis ſententia in aliquot partes dispescitur; [15]) neque Aristoteles,
ſi narrat *in Thessalia* ſacrum, qui dicatur, ſerpentem *omnes perdere* non ſolum quos mo-
morderit ſed etiam quos tetigerit, negare putandus est eum ſerpentem etiam alias non-
numquam apparere; nobis vero ſatis est apparere potuisse; nam ſemper τέρας habitum esse,
ſi appareret, non erat dubium; cur vero conspectum eum aspida ſacello extructo neque
alia re putet expiandum ſuperſtitioſus, id non nostrum est quaerere; fecerit hoc ſuadenti-
bus ita ſacrorum rituum ſive libris ſive interpretibus; denique ἐνταῦθα eam ſignificat partem
aedium, in qua conspectus est anguis. Ceterum non ſerpenti ſed deo averrunco extruitur
ſacellum. — Nonnullis versibus interpositis leguntur: Καὶ πυκνὰ δὲ τὴν οἰκίαν καθαρεῖν,
quae Palatinus in hunc modum auxit: καθᾶραι δεῖν, ὡς Ἑκάτης φάσκων ἐπαγωγὴν γεγονέναι·
κἂν γλαῦκα βαδίζοντος αὐτοῦ ταράττεται, καὶ εἰπὼν „Ἀθηνᾶ κρείττων" παρελθεῖν οὕτω. In his
nisi quod καθᾶραι δεινὸς, Ἑκάτης — ταράττεσθαι ſcribendum esse omnes recte viderunt,
noli quidquam mutare, quamquam ne Fossius quidem ſuperſederi coniecturis posse ratus
est, qui (p. **41**) has proposuit: κἂν γλαῦκα βαδίζ. αὐτ. ἀνακραγοῦσαν vel παραπτᾶσαν
ταρ. ττ., vel κἂν γλαυκὶ βαδιζ. αὐτ. ταράττ. Sententia haec est: cum ambulat, metuit vel
noctuam, neque praeterit nisi postquam propitiam ſibi Minervam precatus est. — Sequun-

[13]) Cf. Hist. Gr. 2, 3, 13. 4, 4, 9. [14]) p. 38. [15]) *Xenoph.* H. Gr. 7, 4, 8. ἀξιοῦμεν, εἰ
μέν τινα ὁρᾶτε σωτηρίαν ὑμῖν, ἐὰν διακαρτερῶμεν πολεμοῦντες, διδάξαι καὶ ἡμᾶς· εἰ δὲ ἀπόρως γιγνώσκετε
ἔχοντα τὰ ὑμέτερα, εἰ μὲν καὶ ὑμῖν συμφέρει, ποιήσασθαι μεθ' ἡμῶν τὴν εἰρήνην, εἰ μέντοι ὑμεῖς λο-
γίζεσθε συμφέρειν ὑμῖν πολεμεῖν, δεόμεθα ὑμῶν κτλ. *Demosth.* c. Mid. p. 529, extr. ἐὰν δὲ ἀργυρίου
τιμηθῇ τῆς ὕβρεως, δεδέσθω, ἐὰν ἐλεύθερον ὑβρίσῃ, μέχρι ἂν ἐκτίσῃ.

tur: καὶ οὔτε ἐπιβῆναι μνήματι, οὔτ' ἐπὶ νεκρὸν οὔτ' ἐπὶ λεχὼ ἐλθεῖν ἐθελῆσαι, ἀλλὰ τὸ μὴ μιαίνεσθαι
συμφέρον φῆσαι αὐτῷ (μαίνεσθαι-φήσας Palat.). Καὶ ταῖς τετάρταις δὲ καὶ ταῖς ἑβδόμαις (ἑβδομά-
ταις Pal.) προστάξας οἶνον ἕψειν τοῖς ἔνδον, ἐξελθὼν ἀγοράσαι μυρσίνας λιβανωτῶν πίνακα καὶ
εἰσελθὼν εἴσω στεφανοῦν (Pal. στεφανῶν) τοὺς Ἑρμαφροδίτους ὅλην τὴν ἡμέραν. In his Fossius recte
perspexit neque καὶ particulam ante ἐξελθὼν desiderari, neque λιβανωτῶν vel λιβανωτοῦ πίνακα
locum habere; ſed quod ille proposuit λιβανωτὸν, πόπανα dissimile veri; tu ſcribe λιβανωτὸν,
στύρακα. Styrax ſive ſtorax uti myrrha et thus ſuffimentorum in numero est, quibus coro-
nat Hermaphroditos diebus quartanis et ſeptimanis cuiusvis mensis, quod Hermaphroditi
Venere et Mercurio nati putabantur, quibus illi dies ſacri perhibebantur.[16]) Οἱ ἔνδον ſer-
vorum familia etiam alibi[17]) dicuntur. — Idem ſuperstitiosus, ubi insomnium vidit, *quale-
cumque demum est*, ſolet *ſimul* adire et ſomniorum coniectores, et aruspices — id enim hic[18])
μάντεις vocabulo ſignificatur —, et augures eosque *ſimul*[19]) consulere, neque alius rei caussa
nisi cui deo deaeve bonas preces precetur; reliqui mortales, ſi visum ita est mirum, ut non
temere negligi posse videatur, *aut* ad augurum aliquem, *aut* ad aruspicum, *aut* ad ſo-
mniorum interpretum detulerint, et ab eo petiverint, quid illo insomnio portendatur et
quibus modis infaustum portentum avertere liceat, neque diversissimarum artium vatici-
niis ſimul utantur. — Circa finem huius notationis extant in Palatino: καὶ περιῤῥαινομέ-
νων ἐπὶ θαλάττης ἐπιμελῶς δόξειεν ἂν εἶναι· κἄν ποτε ἐπίδῃ σκορόδῳ ἐστεμμένων τῶν ἐπὶ ταῖς τριόδοις
ἀπελθόντων, κατὰ κεφαλῆς λούσασθαι, in quibus praeterquam quod ἀπὸ θαλ. ſcribendum, et
distinctionis ſigna tollenda ſunt, quae ante ἐπιμελῶς et post σκορόδῳ leguntur, nulla omnino
mutatione opus est, ne ea quidem, quam Fossius (p. 18) proposuit περιῤῥ. ἐπιμελῶς ἀπὸ
θαλ. — ἐστεμμένον; neque enim aut adverbium aliquot vocabulis interpositis ab verbo ſuo
ſeiunctum offensioni esse debet,[20]) aut videndi verbum cum genitivo participii coniunctum
exemplo caret.[21])

Hac expedita notatione brevioribus esse licebit in μεμψιμοιρίας characterismo, quae cum
ita finiatur, Ἔστι δὲ ἡ μεμψιμοιρία ἐπιτίμησις παρὰ τὸ προσῆκον δεδομένη, in Palatino autem in
hunc modum: ἐ. δ. ἡ. μ. ἐπιτίμησις περὶ τῶν προσηκῶς δεδομένων, utraque ſcriptura vitii est ma-
nifesta, emendandi autem viam alius aliam inivit; hic δεδομένη abesse vel γενομένη eius in
loco poni voluit, ille cum Palatino fecit, nisi quod προσηνῶς ſcribendum, alius ἐπιτί-
μησις παρὰ τὸ προσῆκον δεομένων, alius ἐπιτίμησις παρὰ τὸ προσῆκον τῶν διδομένων rescripsit, quae
emendationes neque rei respondent et ab litterarum vestigiis nimis recedunt. Tu ſcribe,
ἡ μεμψ. ἐπιτίμ. περὶ τῶν πέρα τοῦ προσήκοντος δεδομένων, ut ſensus ſit, μεμψ. querela est de re-
bus ſupra aequitatis rationem et iuris legem datis. Huic finitioni omnia respondent, qui-
bus ipse μεμψίμοιρος describitur; nihil eorum, quaecumque ei oblata ſunt, poterat iure ali-
quo vel lege expectare; tamen tantum abest, ut iis vel delectetur vel obstrictum ſe ſen-
tiat, ut ſemper aliquid in iis inveniat, quod reprehendat; amicus ei absenti ferculum mittit,
amica eum amantissime osculatur, ipse crumenam in via invenit; eorum nihil ſuo merito
expectare poterat, immo ſunt omnia πέρα τοῦ προσήκοντος δεδομένα; tamen reprehendit quod
amicus ſe non ad coenam vocavit; dubitat, amica num ex animo osculetur; queritur quod
numquam thesaurum invenit. Eiusdem generis ſunt reliqua; unum non est, καὶ τῷ Διὶ
ἀγανακτεῖν οὐ διότι ὕει, ἀλλὰ διότι ὕστερον, ſed hoc ſive retines διότι ὕει, ſive, quod nonnulli vo-

[16]) *Lobeck.* Aglaoph. 430 ſqq. [17]) Cf. 4, 2. 3. 11, 5. [18]) *Μάντεις* vocabulum cum latius pateat et omnes diversissimarum artium vates comprehendat, *Paus.* I. 34, 5. *Galen.* Comment. in Hippocrat. de morb. acut. 1, p. 10. b. tum Homero Il. A. 64 de *auguribus* est dictum. [19]) Nam hoc inest verbis, καὶ ὅταν ἐνύπνιον ἴδῃ, πορεύεσθαι πρὸς τοὺς ὀνειροκρίτας, πρὸς τοὺς μάντεις, πρὸς τοὺς ὀρνιθοσκόπους, τίνι θεῷ ἢ θεᾷ εὔχεσθαι δεῖ. [20]) Ita *Demosthenes* p. 68, 23 ἰδίᾳ τὸ λυσιτελοῦν. c. Mid. 540, 14. *Xenoph.* Cyrop. I. 4, 3 ἀεὶ τοὺς παρόντας. Corp. Inſcr. no. 2347 ἀεὶ οἱ ἐν ἀρχῇ ὄντες. *Plat.* Cratyl. §83. νῦν ἃ ἐρωτᾷς et alia innumera. [21]) Cf. *Bernhardy* Synt. p. 151.

luerunt, διότι οὐχ ὕει rescribis, quamquam hac mutatione nihil omnino proficitur, corru-
ptum videtur; nam ſive dicitur Iovi ſuccensere non ſolum quod pluit ſed quod ſerius, ſive
dicitur ei irasci non ſolum quod non pluit ſed quod ſerius, neutrum μεμψιμοίρου proprium
est; ſi enim ſerius pluit quam frugibus e re est, omnes queruntur, qui omnino quidquam
queruntur. Ulcus igitur aliquod hic lateat necesse est; quem vero in modum ei medea-
mur, nondum perspeximus. In reliquis vero, quae ſequuntur, Palatinus liber ita emen-
datus est, ut eum unum ſequi tutissimum ſit; neque audiendi ſunt, ſi qui vel in verbis καὶ
εὑρὼν ἐν τῇ ὁδῷ βαλάντιον εἰπεῖν, ἀλλ' οὐ θησαυρὸν εὕρηκα οὐδέποτε, rescribi „*ut fortius*" volunt
οὐδεπώποτε, vel in verbis θαυμάζω εἰπεῖν ὅτι ὑγιὲς οὕτω ἄξιον ἐώνημαι, desiderant εἴ τι, quasi
vero res incerta agatur, neque ille miretur rem certam quandam, quam vili pretio
emerit, ſanam esse („es ſollte mich wundern daſs das gesund ſei, was ich ſo wohlfeil ge-
kauft habe"). Denique in postremis Καὶ ἐράνου εἰσενεχθέντος παρὰ τῶν φίλων καὶ φήσαντός
τινος, „Ἱλαρὸς ἔστω", „Καὶ πῶς" εἰπεῖν, „ὅτι" δεῖ τὸ ἀργύριον ἀποδοῦναι ἑκάστῳ καὶ χωρὶς τούτων
χάριν ὀφείλειν ὡς εὐηργετημένον, minime necesse est ὅτε pro ὅτι rescribatur; immo latet quae-
dam acerba ironia in ὅτι; cum ſtipe ab amicis collata hilaris esse iubetur, quaerit: Et cur
hilaris ſim? num propterea quod reddenda ſingulis ſtipes et gratia insuper quasi accepti be-
neficii dicenda est?

Sequitur notatio diffidentiae, quam cum Theophrastus ita definiat, ἔστιν ἀμέλει ἡ ἀπιστία
ὑπόληψίς τις ἀδικίας κατὰ πάντων, nuperus editor praeter necessitatem intrusit ἔστι δ' ἀμέλει.
Diffidens vero is dicitur esse, οἷος ἀποστείλας τὸν παῖδα ὀψωνήσοντα ἕτερον παῖδα πέμπειν πευσό-
μενον πόσου ἐπρίατο. Hic Palatinus τὸν addit ante πευσόμενον, id quod male reprehensum est
nuper; ſed qui ante παῖδα extat articulus ferri non potest, cum hic diffidens neque unum
habeat mancipium, neque puer ille nobis iam aliunde notus ſit; ſcribendum: οἷος ἀποστείλας
παῖδα τὸν ὀψωνήσοντα ἕτερον παῖδα πέμπειν τὸν πευσόμενον. — Pergit, καὶ φέρων αὐτὸς τὸ ἀργύ-
ριον κατὰ στάδιον ἀριθμεῖν πόσον ἐστί. Hic unus Palatinus et πόσον ἐστί omittit, et καθίζων ante
ἀριθμεῖν interponit, utrumque verissime; nam et illud additamentum plane otiosum est, cum
quicumque pecuniam numerare dicitur, numeret πόσον ἐστί; hoc vero qui ad rem pertinere
negat, quum homo ſuspiciosus possit etiam ſtans vel ambulans pecuniam numerare, is prae-
tervidit non agi hic temere fortuitoque ſed pecuniae numerandae caussa ſedentem; id quan-
tum faciat ad ſuspicacis mores depingendos, non attinet dicere. Τὸ ἀργύριον ſignificat pecu-
niam, quae portanda ſit; „und wenn er auch ſelbſt das Geld trägt [nämlich, was zu tragen
ist] ſo ſetzt er ſich doch jedes Stadium nieder, um es zu zählen." Sunt vero, qui Theo-
phrastum reprehendant, quasi hic in diffidentem retulerit, quod potius in avarum cadat;
nam qui pecuniam ipse portet, non posse neque aliis neque ſibi diffidere; videri igitur eum
pecuniam numerare non propter diffidentiam ſed quod delectetur possidenda pecunia. Nobis
contra videtur utrisque hic diffidere, et aliis, ne fraude ſe circumveniant furtumque ſibi
faciant, et ſibi, ne incuriam aliquam committat. — Mox traditur diffidens: καὶ τοὺς ὀφείλον-
τας αὐτῷ ἀργύριον μετὰ μαρτύρων ἀπαιτεῖν τοὺς τόκους, ὅπως μὴ δύναιντο ἔξαρνοι γενέσθαι. Hic ne-
que grammaticus audiendus est, qui δύνωνται rescribi iussit, cum etiam praegresso praesenti
optativus ſequi debeat, modo id, cuius caussa aliquid fieri dicitur, non certo expectetur ſed in
dubitatione positum ſit, veluti quod Aristophanes[22]) dixit, τοῦτον δ' ὀχῶ ἵνα μὴ ταλαιπωροῖτο μηδ'
ἄχθος φέροι. Nam nostrum locum ita licet explicare, „ut negare non possint", ſi maxime velint
(ἵνα μὴ δύναιντο ſc. εἰ βούλοιντο), atque hoc ipsum, velintne an non velint, videbimus. Neque ma-
gis audiendus est, qui cum usuris exigendis testes adhibere inepti potius quam diffidentis ar-
bitretur esse mireturque testium facilitatem ſtolido homini morigerantium, inducenda putat

[22]) Ran. 23. cf. *Schoemanum* nostrum ad Isaeum p. 238 ſqq., qui aliam eius rei explicandae viam inivit.

τοὺς τόκους vocabula, ut non usuras sed caput sive sortem repetere dicatur. Haec coniectura
neque sensum habet commodum, neque necessaria est; nam ea recepta quorsum valeant
ἵνα μὴ δύναιντο ἐξ. γεν. prorsus non patet; si vero usuris exigendis testes adhibere dicitur,
fecerit id vel ut, si negentur usurae, habeat quos antestetur, vel si non negentur, habeat,
qui, si forte postea debitori in mentem veniat negare debitum, hoc ipsum testentur eum se
praesentibus usuras petitum non negasse, atque hoc posterius verum esse docent verba ἵνα —
γενέσθαι, „Und von seinen Schuldnern fodert er die Zinsen in Gegenwart von Zeugen ein,
damit sie ihm nie das Capital abstreiten können." Si quid esset inducendum, unum ἀργύ-
ριον mallemus abesse. — Mox cum Gesnero scribendum, καὶ τὸ ἱμάτιον ἐκδοῦναι δεινός, οὐχ
ὃς ὡς βέλτιστα ἐργάσεται, ἀλλ' ὅταν ᾖ ἄξιος ἐγγυητὴς τοῦ κναφέως, cum in libris omnibus
ὃς omittatur, unde editorum plerique οὐχ ὃς βέλτιστα; neque vero caussae quidquam est,
cur aut uno ex libro ἐργάζεται, aut invitis omnibus libris ὅτου ἂν ᾖ ἄ. ἐγγ. scribatur omissis
verbis τοῦ κναφ.; namque satis constat conditionales particulas, veluti εἰ, ἐάν, ὅταν, explica-
tioni praecedentium non minus quam relativum pronomen inservire. Quae sequuntur καὶ
ὅταν ἥκῃ τις αἰτησόμενος ἐκπώματα, μάλιστα μὲν μὴ δοῦναι· ἂν δ' ἄρα τις οἰκεῖος ᾖ καὶ ἀναγκαῖος
μόνον ἐπυρώσας καὶ στήσας καὶ σχεδὸν ἐγγυητὴν λαβὼν χρήσει, in his scribendum esse χρῆ-
σαι Schneiderus, ἢ Orellius, ὄνομα ἐντυπώσας vero Fossius [23]) et Orellius, [24]) viderunt; pro-
pius tamen accesserit ad librorum scripturam: μόνον ὄνομα ἐμπυρώσας, modo probari possit ἐμ-
πυροῦν habere „inurendi" significatum. — Denique praeter omnem rationem nuperus edi-
tor in verbis καὶ τὸν παῖδα ἀκολουθοῦντα κελεύειν αὐτοῦ ὄπισθεν μὴ βαδίζειν articulum ante ἀκο-
λουθ. addidit; nam diffidentis non est, certum quendam puerum pedissequum habere, sed
raro tantum et necessitate aliqua cogente iubet mancipium se comitari. Neque rectius
idem editor in hunc characterismum retulit, καὶ τοὺς ὅρους δὲ ἐπισκοπεῖσθαι ὁσημέραι εἰ διαμέ-
νουσιν οἱ αὐτοί, quae quidem in diffidentem referri posse non negamus, referri debere, et
ad μικρολογίαν, cui in omnibus libris adscribuntur, referri non posse, id utique negamus. Cum
vero ὅροι duplices fuerint lapides, alii finium regundorum, alii hypothecarum significandi
caussa positi, interpretes ne quaesiverunt quidem, utrum hic genus agatur; nobis quidem
Theophrastus haec si de diffidente dixisset, videretur ad posterius, cum de homine pusillo et
illiberali dixerit, qualis est μικρολόγος, ad prius genus retulisse videtur.

Sed haec quidem hactenus; vos vero, cives optumi, in studiorum vestrorum, in totius
vitae ratione ab iis vitiis cavebitis, quae Theophrastus his in characterismis perstrinxit;
immo sermonis comitati adversus omnes studebitis, oblato vel fortunae vel necessariorum
amicorumque dono laetis et gratis animis utemini et in lucro ponetis; diffidebitis nemini
nisi pravis et eritis non minus mites ad columbae, quam prudentes ad serpentis instar; illi-
berale vero nihil quidquam neque patiemini neque facietis; denique deum immortalem ani-
mis et praecordiis vestris non ut mancipia metuetis sed ut liberi verebimini. Valete.

D. Hal. Saxon. a. d. III Non. Sept. cIↃIↃcccXXXIV.

[23]) *Foss.* p. 21. [24]) *Io. Casp. Orelli* Prooem. ad Indic. scholar. Turic. 1834 p. 17.

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCXLII

INDE A DIE XVIII APRILIS VSQVE AD DIEM XVII SEPTEMBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

1842

Inest Meieri Commentatio Theophrastea Tertia.

HALAE

TYPIS HENDELIANIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRORECTOR

GODOFREDVS BERNHARDY

CVM

DIRECTORE ET SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

I.

Theophrasti morum notationes aliquot scripturae mendis iam olim liberare apud vos [1]) conati, ne nunc quidem, quamquam duobus abhinc annis Duebneri diligentia fecit, ut Lutetiae Parisiorum paullo prodirent emendatiores, inutile arbitramur oculis denuo et eo quidem consilio perlustrare, ut apud vos novis quibusdam exemplis comprobemus tum in iis, quae sana visa sint, superesse quae aegrotent, tum in iis quae laborare iam diu perspectum sit, extare quibus cum iusta probabilisque medicina nondum sit adhibita, periclitari nos quoque debeamus num probabilius mederi possimus. Utrumque breviter, et ubi opus quidem videbitur, rationibus accurate subductis sed sic facturi sumus, ut aliquid etiam legentium industriae relinquamus; neque enim scribimus ignaviae et socordiae, sed adolescentibus, quorum studia incendere, quorum mentes acuere debemus. Elegimus autem nunc quinque characterismos pertractandos foeditatis, vanae ambitionis, sordidae illiberalitatis, superbiae et ignaviae. —

Initium autem ab *δυσχερείᾳ* sive foeditate (c. XIX.) faciamus, quam cum Theophrastus definiat esse corporis et munditiae omissam curam quae (aliis) taedium faciat [2]), huic quidem finitioni respondet quae statim sequitur foedi descriptio, qua foedus sive spurcus lepra et vitiligine alba laborare unguesque maiores iusto alere, eaque corporis habitudine cum sit, non domi se continere dicitur, sed huc illuc ambulare, et quasi vero eam rem agat, ut spurcitati suae etiam nolentium oculos advertat, insuper dicere etsi ab nemine interrogatus, eos sibi morbos avitos gentiliciosque esse, quippe quibus ne pater quidem avusque careant, unde factum ut suae genti difficile sit supponi qui alieni sint genti; respondet etiam, quod adiicitur ulcera eum in tibiis et tubercula in manibus habere, neque ea curari sed exasperari pati, denique alas ferinas et hirsutas, dentes autem nigros et exesos habere. Reliqua vero descriptio, ni fallor, ab ipsius Theophrasti definitione abhorret vehementer: huius partem posteriorem, quae ab verbis

---

1) Prooem. Ind. Schol. 1830, 1834—35. 2) *Ἔστι ἡ δυσχέρεια ἀθεραπευσία σώματος λύπης παρασκευαστική.*

καὶ εἰς ὀρνιθοσκόπου τῆς μητρὸς ἐξελθούσης βλασφημῆσαι [3]) usque ad finem characterismi in libris reperiatur, non in spurcum cadere iam multi perspexerunt, eamque alii ad stupiditatem sive ἀναισθησίαν (c. XIV.), alii ad impuritatem sive βδελυρίαν (c. XI.) putarunt referendam esse. Verum vescentem emungi, bibentem ructari, rem sacram facientem simulatque libare inceperit loqui, alloquentem sputum emittere, mensae accumbentem coire in stragula veste cum sua uxore, oleo rancido in balneis uti, tunica crassiore indutum et pallio nimis detrito maculisque pleno amictum prodire in forum [4]) ad neglectum corporis cultum, ad omissam munditiae curam non magis pertinet quam matre ad aruspicem exeunte non favere lingua sed verbis malis abuti. Neque vero transpositione sanandus videtur locus, sed facilior quaedam et paullo probabilior adest medicina. Intercidisse enim statuo post καὶ τὰ τοιαῦτα quibus et δυςχερείας extrema pars et principium novi characterismi continerentur. Eum novum characterismum non ausim certo dicere qualis fuerit, sed coniicio „inepti“ indolem esse complexum.

Simili medicina etiam ἀνελευθερίας sive sordidae illiberalitatis descriptio (c. XXII.) egere videtur; nam quae hic extremo leguntur capite, quibus calceis uti duplici fulmenta suppactis (quo non calcei, quibus postquam usu abrasi et detriti sunt, nova fulmenta, sed quibus duplex solea statim ab initio subducta est, significantur) et mane surgens domum verrere lectosque tergere, denique pallium invertere dicitur,

3) Ὁ δὲ δυςχερὴς τοιοῦτός τις οἷος λέπραν ἔχων καὶ ἀλφὸν καὶ τοὺς ὄνυχας μεγάλους a] περιπατεῖν καὶ φῆσαι ταῦτα εἶναι αὐτῷ συγγενικὰ ἀῤῥωστήματα, ἔχειν γὰρ αὐτὸν b] καὶ τὸν πατέρα καὶ τὸν πάππον καὶ c] οὐκ εἶναι ῥᾴδιον εἰς τὸ γένος ὑποβάλλεσθαι d]. ἀμέλει δὲ δεινὸς καὶ ἕλκη χειν ἐν τοῖς ἀντικνημίοις καὶ προπταίσματα ἐν τοῖς δακτύλοις καὶ ταῦτα μὴ θεραπεῦσαι ἀλλ' ἐᾶσαι θηριωθῆναι, καὶ τὰς μασχάλας θηριώδεις καὶ δασείας ἔχειν ἄχρις ἐπὶ πολὺ τῶν πλευρῶν καὶ τοὺς ὀδόντας μελάνας καὶ ἐσθιομένους ὥςτε δυςέντευκτος εἶναι καὶ ἀηδὴς καὶ τὰ τοιαῦτα e]. 4) Ἐσθίων ἀπομύττεσθαι, θύειν ἀρξάμενος προςλαλεῖν καὶ ἀποῤῥίπτειν ἀπὸ τοῦ στόματος· ἅμα πιεῖν προςερυγγάνειν· ἐλαίῳ σαπρῷ ἐν βαλανείῳ χρῆσθαι· ἱμάτιον κηλίδων μεστὸν ἀναβαλόμενος εἰς ἀγορὰν ἐξελθεῖν, libri plerique; ἐσθ. ἀπομ., θύων ἅμα δ' ἄρξασθαι προςλαλῶν ἀποῤῥ. ἀ. τ. σ., ἅμα πιὼν προσερ. Ἀναπίπτοντος ἐν τοῖς στρώμασι, μετὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ κοιμᾶσθαι· ἐλαίῳ σαπρῷ ἐν βαλανείῳ χρώμενος σφύζεσθαι καὶ χιτωνίσκον παχὺν καὶ ἱμάτιον σφόδρα λεπτὸν καὶ κηλ. μ. ἀ. ἐ. ἀ. ἐξ., Vaticanus. Ea alius alio modo in ordinem conatus est redigere, quorum coniecturas diligentius Fossius meus persecutus est (Comm. Theophr. II. p. 10 sqq.) Eorum si nihil mihi placere dico, aliis fortasse non magis placebunt, quae ego nunc tamquam mea propono: ἐσθιῶν ἀπομύττεσθαι, καὶ πιὼν προςερυγγάνειν· καὶ θύων δὲ ἅμα τε κατάρξασθαι καὶ λαλεῖν· καὶ προςλαλῶν ἅμα ἀποῤῥίπτειν ἀπὸ τοῦ στόματος. ἀναπίπτοντος δὲ, ἐν τοῖς στρώμασι μετὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ κοιμᾶσθαι, καὶ ἐλ. σ. ἐ. β. χρώμενος . . . . εσθαι, καὶ χιτωνίσκον παχὺν ἔχων καὶ ἱμάτιον κτλ. Κατάρξασθαι rescripsi, quo verbo constat ritus significari eos, ab quibus rei sacrae faciendae initium fiebat. Interpunctionem mutavi, ut ἐν τοῖς στρώμασι ne coniungatur cum ἀναπ., sed cum κοιμᾶσθαι verbo; neque vero illud anacoluthon, quo ἀναπίπτοντος sic accipio ubi severioris grammaticae praecepta ἀναπίπτων postulant, aut offensioni aut rarum usu est; si quid tamen mutandum, ἀναπιπτόντων scripserim, „mensae ubi accumbitur.“ Denique ἔχων, quod propter praecedens παχὺν facile interciderit, adieci, ne ad zeugma recurrendum sit, nam ἱμάτιον quidem ἀναβάλλεσθαι dicitur, (cf. *Ast* in Theophr. Ch. 26. p. 225.), χιτῶνα autem et χιτωνίσκον ἐνδύεσθαι vel ἐνάπτεσθαι.

a] Illud adduci non possum ut sanum arbitrer; ungues enim magni tantum afuit ut antiquitati opprobrio viderentur, ut modo curati essent recti, etiam venustatis loco putarentur; cf. si tanti est *Boettigeri* Sabin. I, 320. b] Ita Vatic., ἀῤῥ. καὶ τὸν πατέρα ἔχειν καὶ τὸν πάππον reliqui. Mihi pro αὐτὸν illo Vaticani libri vel cum Fossio αὐτοῦ vel αὐτὰ scribendum videtur. c] Malo ὥςτε, quod quam saepe librarii scribae cum καὶ confundant, non fugit palaeographiae peritos. d] καὶ — ὑποβάλλεσθαι accesserunt ex Palatino, quibus qui eo nomine status controversiam moverunt, quod officiant foedi descriptioni et suggerant impudentiae speciem, eos latuisse videtur, si qua ea sit culpa, eandem in superiora etiam verba cadere, quibus uti spurcus dicatur. Etenim omnis oratio spurci, in commemoranda corporis labe sibi adeo placentis, taedium aliorum non mediocriter auget. e] καὶ τὰ τοιαῦτα immerito in suspicionem vocata esse ab Astio comprobavi exemplis comm. II.

ea in sordidum potius et avarum quam in illiberalem cadunt ab sumptibus cuiuscunque φιλοτιμίας abhorrentem. Itaque etiam hic vide an interciderint quaedam, quae clausulam ἀνελευθερίας et principium novi characterismi continebant.

II.

Sed prius dicendum est de characterismo eo, qui inscribitur περὶ μικροφιλοτιμίας (c. XXI.) sive de frivola ostentatione ex rebus futilibus gloriolam et gratiam aucupantis, in quo plura supersunt, quae tollere et corrigere velis. Etenim ubi μικροφιλότιμος dicitur τοιοῦτος οἷος — καὶ τὸν υἱὸν ἀποκεῖραι ἀναγαγὼν εἰς Δελφούς, cum in ea re omne sententiae robur sit, quod Delphos filium ducat comam depositurum, malo ἀναγαγεῖν rescribere. Mox scribe: καὶ πομπεύσας δὲ μετὰ τῶν ἱππέων τὰ μὲν ἄλλα πάντα ἀποδοῦναι [5]) τῷ παιδὶ ἀπενεγκεῖν οἴκαδε, ἀναβαλόμενος δὲ θοἰμάτιον ἐν τοῖς [6]) μύωψι κατὰ [7]) τὴν ἀγορὰν περιπατεῖν, ubi quod ex Palatino accessit ἐν τοῖς μύωψι adeo necessarium est, ut sine eo ne stare quidem oratio possit. Etenim hoc absente additamento non patet neque, quid sit quod unum ille non reddat, cum reliqua referenda domum pedisequo reddat, neque quonam modo illa nota in μικροφιλότιμον conveniat; nam ambulare in foro amictum pallio, vel, si mavis, colligentem pallium erat temporibus illis si minus omnium Atheniensium, certe omnium quicumque habitus quandam elegantiam captabant, at gloriolam venantium non erat. Accessio autem illa docet velle eum etiam finita equitum transvectione sciri se equitem equo publico esse; eam ob caussam calcaria non reddit, cum reliqua reddat sed cum calcaribus volitat per forum. Quodsi Theophrastus non θοἰμάτιον, quod omnino pallium virile, sed ξυστίδα id est vestem appellasset, quae Atticorum equitum non minus propria erat, quam trabea Romanorum, ἐν τοῖς μύωψι fecisset quidem ad orationis ornatum neque vero sic ut nunc esset necessarium.

Pergit: καὶ ἀναθεὶς δακτύλιον χαλκοῦν ἐν τῷ Ἀσκληπιείῳ [8]) τοῦτον ἐκτρίβειν στεφανοῦντα ἀλείφειν [9]) ὁσημέραι, ubi rescribo: ἐκτρίβειν, στεφανοῦν, ἀπαλείφειν ὁσ. „Si, quod fortasse a morbo vel ipse vel aliquis suorum convaluit, annulum aeneum in Aesculapii templo dedicatum suspendit, quotidie eam in aedem itat, ut annulum laeviget, abstergat, aeruginem arceat.“ Στεφανοῦν non credo verum esse neque tamen scio quid in eo lateat reconditum.

In eo quod sequitur enunciato, ἀμέλει δὲ καὶ συνδιοικήσασθαι παρὰ τῶν πρυτάνεων ὅπως ἀπαγγείλῃ [10]) τῷ δήμῳ τὰ ἱερὰ καὶ παρεσκευασμένος [11]) λαμπρὸν ἱμάτιον καὶ ἐστεφανωμένος παρελθὼν εἰπεῖν, „Ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ἐθύομεν οἱ πρυτάνεις τὰ ἱερὰ τῇ Μητρὶ τῶν θεῶν τὰ μὲν ἄξια καὶ τὰ ἱερὰ καλὰ καὶ ὑμεῖς δέχεσθε τὰ ἀγαθά,“ καὶ ταῦτα ἀπαγγείλας ἀπιὼν διηγήσασθαι οἴκαδε τῇ ἑαυτοῦ γυναικὶ ὡς καθ' ὑπερβολὴν εὐημερεῖ, in dubitationem vocatum est, quod non debebat. Cum enim διοικήσασθαι πρός τινα significet [12]) cum aliquo pacisci

5) Ita libri plerique, δοῦναι Palat. 6) ταῖς Palat., sed cf. *Lobeck* Paralip. 117. sq. 7) Ita Palat., εἰς reliqui. 8) Ita Palat., Ἀσκληπίῳ reliqui libri, unde fuerunt qui χαλκοῦν τῷ Ἀσκληπιῷ coniicerent, quos vera ratio fugit; nam etiam illud ostentatoris vanitatem probat, quod tamquam magnum donum, ita annulum illum in templo suspendit. 9) Ita Palat., στεφανοῦντα ἀλείφεσθαι reliqui, στεφανῶν καὶ ἀλείφεσθαι Casaubonus de coniectura, στεφανῶν καὶ ἀλείφων Coraius, Astius. 10) Ita libri, ἀπαγγέλλῃ Astius de coniectura Schneideri; malo ἀπαγγέλῃ. Cf. *Buttmann* in indic. anomal. Gr. Gr. s. v. ἀγγέλλω. *Passow* in Parthen. p. 70 sqq. *Sintenis* in Plut. Them. LVI. *Schaefer* in Demosth. 481, 6. 525, 22. *Schoemann* in Isaeum p. 39. al. 11) Ita Palat., παρασκευασάμενος reliqui libri; illam scripturam satis defendit quod sequitur partic. ἐστεφανωμένος. 12) *Demosth.* c. Theocr. 1377, 22.

et transigere, caussae nihil est, cur *συνδιοικήσασθαι παρὰ τῶν πρυτάνεων* negetur significare „transigere cum prytanibus et ab iis impetrare." Quod igitur coniectavit Casaubonus *συνδιοικήσασθαι τὰ παρὰ τῶν πρυτάνεων* nescio quorsum valeat, Astii vero suspicionem *συνδιακονήσασθαι τὰ παρὰ τ. π.* rescribentis eaque explicantis „Prytanibus se ministrum praebere — ut quasi ipse prytanis sit — populo denuntiare possit litatumne sit nec ne" infelicem arbitror; qui enim prytanum e numero non erat, ne per leges quidem poterat ab prytanibus consequi, ut unam earum rerum administraret, quae ad ipsorum curam pertinerent. Immo *μικροφιλότιμος* cum ipse sit prytanis, omni studio adnititur, ut reliqui quadraginta novem prytanes sibi mandent referenda in concione, quae uni mandanda sunt. — Quod autem merito de vitiis suspectum habetur, *θεῶν τὰ μὲν ἄξια καὶ τὰ ἱερὰ καλά*, quae Palatini, *θεῶν ἄξια καὶ τὰ ἱ. κ.*, quae reliquorum librorum scriptura est, persanatum nondum est; in *ἄξια* enim verbo alii *αἴσια*, alii *δέξια* latere arbitrati sunt, quorum neutrum legitimae et forensi dicendi consuetudini respondet; ego medicinam non minus lenem sed legitimam adhibeo, rescribo enim: *ἐθύομεν οἱ πρυτάνεις τὰ ἱερὰ τῇ Μητρὶ τῶν θεῶν καὶ ἔστι τὰ μὲν σφάγια καὶ τὰ ἱερὰ καλά.* Sic Xenophon [13]) *τὰ ἱερὰ καὶ τὰ σφάγια καλὰ εἶναι*, et alio loco [14]) *τά τε ἱερὰ ὑμῖν καλὰ οἵ τε οἰωνοὶ αἴσιοι τά τε σφάγια κάλλιστα.* — Denique haud scio an praestet *οἴκαδε* reponere ante *διηγήσασθαι*, quod positum est post eam vocem, quo facilius coniungi cum *ἀπιών* possit.

III.

Transeo ad sordidae illiberalitatis descriptionem (c. XXII.), cuius finitionem *ἡ δὲ ἀνελευθερία ἔστι περιουσία τις ἀπὸ φιλοτιμίας* (Vatic. *ἀποφιλοτιμίας*) *δαπάνην ἔχουσα* esse labe adfectam viderunt omnes, neque tamen cuiquam contigit ut probabiliter elueret maculam, neque mihi melius cessit periculum, qui fuit cum coniicerem, *περιουσία τις ἀπο[στροφῆς ἀπὸ] φιλοτιμίας δαπάνην ἐχούσης*, in quo *ἀποστροφήν* volui significare „odium" „detestationem", ut dicitur *ἀποστρέφεσθαι* „abominari", „illiberalitas nimia est detestatio liberalitatis cum sumptibus coniunctae".

Pergit vero: *Ὁ δὲ ἀνελεύθερος τοιοῦτός τις οἷος νικήσας τραγῳδοὺς ταινίαν ξυλίνην ἀναθεῖναι ἐπιγράψας μὲν αὑτοῦ τὸ ὄνομα*, ubi miror fuisse, qui *τραγῳδοῖς* corrigerent: nam *νικᾶν* cum accusativo non tantum sollemnium, quibus victoria reportetur (*νικᾶν Ὀλύμπια, Ἴσθμια*) sed etiam generis certaminum coniungi (*νικᾶν στάδιον, δίσκον*) arbitror in vulgus esse notum [15]). — In iis quae sequuntur *καὶ ἐπιδόσεων γινομένων ἐκ τοῦ δήμου ἀναστὰς σιωπᾶν ἢ ἐκ τοῦ μέσου ἀπελθεῖν*, malo *ἐν τῷ δήμῳ*; nam in concione [16]) solebant fieri *ἐπιδόσεις* sive pollicitationes munerum populo ab volentibus gratuito oblatorum; neque tamen negaverim praefracte posse librorum scripturam sic defendi, ut *ἐκ τοῦ δήμου* aut cum *ἀναστὰς* coniungatur „surgere a concione — scilicet taciturus," aut cum *γινομένων* [17]) „si a populo habentur, instituuntur largitiones sive collationes quibus aerarii inopiae succurratur." — In verbis vero *καὶ ἐκδιδοὺς αὑτοῦ θυγατέρα τοῦ μὲν ἱερείου πλὴν τῶν ἱερειῶν τὰ κρέα ἀποδίδοσθαι, τοὺς δὲ διακονοῦντας ἐν τοῖς γάμοις οἰκοσίτους μισθώσασθαι* agitur de sacrificio, quod pridie [18]) nuptiarum a patre filiam suam collocante ni fallor Iunoni pronubae, *Ἥρᾳ τελείᾳ*, fieri solebat, et plerum-

[13]) *Xen.* Anab. 1, 8, 15. [14]) *Ibid.* VI, 3, 21.. [15]) *Matth.* Gr. Gr. 409, 3. *Schaefer* in Demosth. 1342, extr. [16]) *Boeckh.* Oecon. Civ. Ath. II, 129. [17]) *Antiph.* II, δ, *τὰ πραχθέντα ἐξ ἐμοῦ*, quem in locum vide quae Maetznerus p. 167. attulit ex prosae scriptoribus similia. [18]) *Hesych.* v. *γάμων ἔθη τὰ προτέλεια — πρὸ μιᾶς τῶν γάμων.*

que *προτέλεια*, rarius *προγάμεια*, fortasse etiam *πρόγαμοι* dicebatur [19]); cuius hostiae exta excepto fele (nam fel non litabatur [20]) in nuptiali sacrificio, ut ira et bili liberum esset matrimonium, sed adspergebatur arae) exta igitur antequam adolerentur, ab extispice inspiciebantur, neque nisi essent laetiora, postridie adornabantur nuptiae. Apud Theophrastum autem cum *ἱερειῶν* vocabulum stare non posse perspexerint omnes, Casaubonus olim „*πλὴν ἱερέων καὶ ἱερειῶν*" coniecit „exceptis iis partibus, quae ad sacrificos et sacrificas pertinebant," deinde „*πλὴν τῶν ἱερῶν*" sibi placere professus est „exceptis iis partibus quae adolentur," alii *πλὴν τῶν ἱερέων* vel *ἱερέως* praetulerunt, quorum nihil ne grammaticorum quidem praeceptis respondet, cum desideretur certe *πλὴν τῶν τῶν ἱερέων* vel *πλὴν τῶν τοῦ ἱερέως*. Mirum vero est eorum, qui partes hostiae sacerdoti relinqui solitas hic desiderari intellexerunt recte, neminem tamen id ipsum reposuisse nomen, quo illae partes dicebantur Graecis. Nam *τὰ εἰωθότα δίδοσθαι ἐξαίρετα τοῖς ἱερεῦσιν ὑπὲρ τῆς ἱερωσύνης* (*ἐπὶ τιμῇ τῆς ἱερωσύνης*) Grammatici [21]) testantur *ἱερώσυνα* esse dicta, quae in titulo quodam Attico, quem Boeckhius [22]) ante aliquot annos edidit, constanter *ἱερεώσυνα* dicuntur; hic vero ipse titulus collatus tum cum Halicarnassensium quodam decreto itidem a Boeckhio [23]) edito tum cum Athenaeo [24]) comprobat, id quod Boeckhius luculenter docuit, *ἱερεωσύνων* nomine sacerdotibus praeter pecuniam partim ipsius sacrificii caussa partim pro utensilibus quibusdam pendendam, ipsius hostiae et partes quasdam non edules et partes alias edules tribui solitas esse, edulium vero partium tria fuisse genera, primum *κωλῆν καὶ τὰ ἐπὶ κωλῇ νεμόμενα*, deinde *πλεῦρον* s. *πλεῦρον ἰσχίου*, denique *ἡμίκραιρα χορδῆς* s. *ἡμίκραιρ' ἀρίστερα* s. *τεταρτημορίδια σπλάγχνων*. Reponendum igitur in Theophrasto arbitror: *πλὴν τῶν ἱερεωσύνων τὰ κρέα ἀποδόσθαι.*

Sequitur *καὶ τριηραρχῶν τὰ τοῦ κυβερνήτου στρώματα αὑτοῦ ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ὑποστορέννυσθαι, τὰ δὲ αὑτοῦ ἀποτιθέναι.* Quod ex Palatino accessit *αὑτοῦ*, Astio ne dignum quidem visum quod commemoraret, quamquam non est ipsum verum (quid enim sit „in ipso tabulato?"), ducit tamen eo, quo carere oratio nequit, ad *αὑτῷ*. Sordidus enim ut stragulis suis parcat, sua seponi sibique gubernatoris stragula substerni iubet in tabulato. — Pergit: *καὶ τὰ παιδία δὲ δεινὸς μὴ πέμψαι εἰς διδάσκαλον, ὅταν ᾖ τοῦ ἀποτιθέναι καὶ τὰ παιδιμουσία ἀλλὰ φῆσαι κακῶς ἔχειν ἵνα μὴ συμβάλλωνται.* In hoc loco pertractando praeclare versatus est Fossius [25]), recte ille Blochio assensus *τοῦ ἀποτιθέναι καὶ* male repetita esse ex superiore versu *τὰ δὲ αὑτοῦ ἀποτιθέναι καὶ* statuenti. Neque vero quam Fossius proposuit coniecturam, *μὴ πέμψαι εἰς διδασκάλον ὅταν ᾖ τὰ παιδομουσεῖα ἀλλὰ κτλ.* sufficit revocandae pristinae scripturae; neque enim ulla erant sollemnia, quae *παιδομουσεῖα* dicerentur, sed uti quae sollemnia a pueris in palaestris, *Ἑρμαῖα* non *Παιδοερμαῖα*, ita quae ab iisdem in ludis litterariis s. *διδασκαλείοις* agebantur, non *Παιδομουσεῖα* sed *Μουσεῖα* dicebantur. Quid quod in libro ne extat quidem *Παιδομουσεῖα*, sed *παιδιμουσεῖα*. Dicam quod sentio. Etiam *τὰ παιδὶ* prave repetita sunt ex eodem superiore versu, *τὰ δὲ 'αὑ[τοῦ ἀποτιθέναι καὶ τὰ παιδί]α δὲ*. Veram igitur scripturam vobis praesto hanc: *καὶ τὰ παιδία δὲ δεινὸς μὴ πέμψαι εἰς διδασκαλεῖον, ὅταν ᾖ Μουσεῖα.* Etenim credibilius est *διδασκαλεῖον* per notas scriptum quam *διδασκάλου* abisse in *διδάσκαλον*, sollemnium autem nominibus satis constat articulum modo non addi modo addi [26]).

[19]) *Ast* in Platon. Legg. p. 319. *Meineke* in Menandr. 218. 194. [20]) *Plutarch.* Coniug. Praec. p. 319. [21]) Lex. Rhet. 266, 7. *Hesych. Phol. Etym.* s. v. [22]) Prooem. Ind. Schol. Berol. 1835—36. [23]) Ind. Schol. 1830 et C. I. Gr. No. 2656. [24]) *Athen.* IX, 368. [25]) Comm. II, p. 18. [26]) *Sintenis* in Plut. Them. p. XXII. *Demosth.* Mid. §. 10.

Praetereo nonnulla, quae interiecta sunt, ut quaedam adiiciam de novissimis, quibus describitur, qualem in suam uxorem sordidus exhibet illiberalitatem: *καὶ τῇ γυναικὶ δὲ τῇ ἑαυτοῦ προῖκα εἰςενεγκαμένῃ μὴ πρίασθαι θεραπαίνας ἀλλὰ μισθοῦσθαι εἰς τὰς ἐξόδους ἐκ τῆς γυναικείας παιδίον συνακολουθῆσον.* Ita Palatinus, ab reliquis enim libris absunt tum *τῇ ἑαυτοῦ προῖκα εἰςενεγκαμένῃ*, tum *ἐκ τῆς γυναικείας.* Eorum additamentorum cum neutrum supervacaneum esse sed utrumque ad augendam rei atrocitatem facere debeat, miror prius quod integrum non sit, integrum esse visum, posterius quod integrum sit, non esse integrum visum. Nam temporibus illis Athenis non modo illiberalium sed eorum etiam, qui vel maxima essent comitate, ut suapte sponte nihil morarentur dotem, tamen quotusquisque fuerit, qui uxorem indotatam ducere aut ipse induceret animum, aut cui inducenti in animum parentes et propinqui veniam darent, denique quotusquisque parentum filias suas legitimo matrimonio susceptas sic sine dote tamquam in concubinatum dari non fuerit veritus? Cum igitur dotatae pleraeque omnes tum fuerint uxores, non opus erat ut diserte diceretur illiberali huic dotatam fuisse uxorem. Itaque, nisi forte ut „dotata“ solum nonnumquam [27]) significat „bene dotatam,“ sic etiam „dotem“ *προῖκα* comprobari possit pro „magna dote“ dici s. *μεγάλῃ προικί*, necesse est ut non dos, sed magna dos ab uxore in mariti domum dicatur illata esse; quare rescribo: *προῖκα καλὴν εἰςενεγκαμένῃ*, ubi *καλὴν* „bonam“ id est „amplam, florentem“ significare volo. Alterum autem additamentum *ἐκ τῆς γυναικείας*, quamquam ellipsim *ἀγορᾶς* vocabuli non possum aliis exemplis tueri, probum tamen est neque eget mutatione; satius est enim quod hoc ex uno loco constat, hinc discere, quam propterea respuere quod non idem aliunde constet, praesertim cum duobus tantum locis [28]) apud scriptores superstites memoria fori muliebris Athenarum extet. Discamus igitur in foro muliebri non tantum vasa venum data, sed pedisequos etiam et ancillas, quae mulieribus essent in famulatu, mercede conductas esse. Fidem his nonnullam addit, quod Athenis in Colono eo, qui quia ab foro non multum aberat, forensis dicebatur, mercenarii stare solebant; unde factum ut hi Atheniensibus *Κολωναιτῶν* nomine dicerentur [29]). Fossius [30]) vero „at“, inquit, „quid attinebat exponere unde ancillulam homo conduxerit, quum nihil id faciat ad rem neque maiorem eius significet illiberalitatem“? Etenim, nisi spernamus quod non est spernendum, etiam illud hoc ex loco discere licet, forum muliebre apud Athenienses non honestiore loco fuisse quam apud nostrates forum scrutariorum, neque ibi ancillas conduci potuisse forma venusta elegantes, quales illae „flabelliferae, sandaligerulae, cantrices, cistellatrices, nuncii renuncii [31])“, sed invenustas, infelices, male moratas. Quod autem Fossius coniectavit *εἰς τὰς ἐξόδους τὰς γυναικείας*, praeterquam quod nimis recedit ab tradita scriptura, est etiam supervacaneum neque quidquam addit, quod non insit iam in verbis *τῇ γυναικὶ μισθοῦσθαι εἰς τὰς ἐξόδους.*

IV.

Pauca in superbiae s. *ὑπερηφανίας* descriptione (XXIV.) notabo, cuius octo esse species Philodemus Epicureus Ciceronis aequalis in libro de vitiis oppositisque virtutibus (*περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀντικειμένων ἀρετῶν*) docuit, *ὑπεροπτάς, αὐθάδεις, ἀλάζονας, αὐθεκάστους,*

27) *Plaut.* Mil. III, 1, 85. 28) *Pollux* X, 18. *Theophr.* Char. 2. 29) Cf. Lexicogrr. s. v. *Κολωναίτας* s. *Κολωνέτας*. 30) Comm. II, p. 19. 31) *Plaut.* Trin. II, 1, 3.

πανειδήμονας, σεμνοκόπους ἢ βρενθυομένους, εὐτελιστάς, οὐδενωτάς. Eam igitur postquam Theophrastus sic definivit, *ἔστι δὲ ὑπερηφανία* [32]) *καταφρόνησίς τις πλὴν αὑτοῦ τῶν ἄλλων*, sic pergit: *ὁ δὲ ὑπερήφανος τοιόςδε τις οἷος τῷ σπεύδοντι ἀπὸ δείπνου ἐντεύξεσθαι φάσκειν* (alii libri *φάγειν*), *καὶ εὖ ποιήσας μεμνῆσθαι φάσκειν, καὶ βιάζειν ἐν ταῖς ὁδοῖς τὰς διαίτας κρίνειν καὶ ἐν τοῖς ἐπιτρέψασι καὶ χειροτονουμένοις ἐξόμνυσθαι τὰς ἀρχὰς οὐ φάσκων σχολάζειν.* Ita solus Palatinus, ceteri libri tum inverso ordine *μεμνῆσθαι φάσκειν ἐν ταῖς ὁδοῖς καὶ βιάζειν* offerunt, tum reliqua omnia *τὰς διαίτας-σχολάζειν* omittunt. Possis hic offendere duplici *φάσκειν* vocabulo intra paucissimas voces repetito, ubi tum unum sufficiebat, quod non minus ad *ἐντεύξεσθαι* quam ad *μεμνῆσθαι* pertineret, tum si non videbatur sufficere unum, sed suo verbo opus esse utrique enunciato, adeo in promptu erat variare orationem; neque tamen alterutrum reiecerim, cum talibus repetitionibus hi abundent characterismi, id quod gratae cuidam negligentiae apprime convenit. *Εὖ ποιήσας μεμνῆσθαι φάσκειν* Fossio [33]) meo displicet, quippe quod, sive significet „si cui benigne fecit, *se meminisse* dicit“, sive „cui benigne fecit, *eum meminisse iubet*“ non cadat in superbum; ille igitur „*μὴ μεμνῆσθαι φάσκειν*“, coniicit „superbus, quum gratias agere volunt ii qui acceperunt beneficium, recordari se negat.“ En rarum superbi exemplum idem prae superbia facientis, quod optimi quique humanitatis et modestiae caussa faciunt. Quid multa? *εὖ ποιήσας* hic non significat, „si benigne fecit.“ Fallor, aut scribendum est: *καὶ ἐντυχὼν εὖ ποιήσας μεμνῆσθαι φάσκειν.* „et quando iam iis obviam venit suique facit potestatem, dicit feliciter non se oblitum esse promissi!“. *εὖ ποιήσας* igitur ita accipiendum puto ut *εὖ ποιῶν, εὖ γε ποιῶν, καλῶς ποιῶν,* et similia, quas formulas constat verbis addi non solum *ἐνεργήματος* sed etiam *πάθους*, et nunc mediae orationi interponi nunc tamquam clausulam adiici. [34]) — Novissima *καὶ βιάζειν — σχολάζειν* interpretum alius aliter in ordinem redigere conatus est, quorum opiniones diligenter percensuit et accurate refutavit Fossius. Ego igitur satis habeo huius sententiam pronunciare, et cur ne in hanc quidem discedi posse arbitrer, exponere breviter. Coniicit enim ille: *καὶ βιάζεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς τὰς διαίτας κρίνειν καὶ ἐντυχὼν τοῖς ἐπιτρέψασι, καὶ χειροτονούμενος ἐξόμνυσθαι κτλ.*, eaque interpretatur: *enititur efficitque ut in via ambulans caussas iudicet et si quando iis, qui eius arbitrio utuntur, occurrit; et si magistratus ei mandatur, eiurat eum, otium sibi esse negans.* Hic *χειροτονούμενος* esse verissime repositum ipsa explicatio satis probat; sed arbitrum qui ex compromisso iudicet (nam agitur hic non magis de disceptatore domestico sive *διαλλακτῇ* quam de publico arbitro s. *διαιτητῇ κληρωτῷ*), sed compromissarium arbitrum sive *διαιτητὴν αἱρετόν*, quod in se receperit arbitrium, id ambulantem et litigantibus forte occurrentem pronunciare velle, nae illa postulatio non superbientis fuerit sed insanientis. Adeo multa arbitro et antequam pronunciet et postquam pronunciaverit sententiam, facienda sunt, quae nullo modo potest in via ambulans facere; nam adigendus est ipse sacramento, dein litigantium orationes audire, tum quibus uterque eorum ad caussam suam probandam vel testimoniis vel documentorum tabulis utitur, examinare et de servis, si qui *εἰς βάσανον* offeruntur, tormentorum vi quaerere, denique ipsum arbitrium s. *γνῶσιν* postquam pronunciaverit litteris mandare aut mandandum litteris curare debet; si hunc autem arbitrum et *ἀνώμοτον ἀποφήνα-*

32) *ἡ ὑπερηφανία* Astius de coniectura, sed articulo carent etiam finitiones c. 13. et 18. 33) Comment. I. p. 28. 34) Cf. *Demosth.* Leptin. 490, 16. c. n. Fr. Aug. Wolfii. *Id.* c. Aristocr. 667, 17. *τοῦτο ἐπ' ἐκεῖνον εὖ ποιοῦν οὐ συνέβη*, quem locum secus intellexit Schaeferus. *Id.* prooem. 1445, 19. Epistol. 1481, 22. *Lucian.* Q. h. s. c. §. 4.

σϑαι dicis neque γνῶσιν scripsisse sed litigantibus reliquisse curandum, ut quo modo vellent fides accederet arbitrio ab se pronunciato, certe reliqua quae dixi, omitti nullo modo poterant. Accedit quod in sacello vel templo arbitros compromissarios comprobari potest non minus quam publicos pronunciasse arbitrium [35]). Quid multa? Superbus ille non receptum arbitrium in via ambulans iudicat, sed omnino delatum ab amicis non recipit, quod cum sit iam per se immunis hominis, hic rei indignitatem auget etiam ratione, quam negatae amicis veniae prae se fert; etenim οὐ φάσκων σχολάζειν non solum ad καὶ χειροτονούμενος ἐξόμνυσϑαι τὰς ἀρχάς, sed etiam ad superiora τὰς διαίτας κρίνειν pertinent. Itaque primum βιάζειν ἐν ταῖς ὁδοῖς et καὶ ἐν delenda arbitror, quorum ἐν ταῖς ὁδοῖς ex inferiore καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς πορευόμενος male repetitum, βιάζειν ex superiore φάσκειν vel φάγειν, καὶ ἐν ex superiore καὶ εὖ ortum sit; prima illa ut pro suspectis habeantur, etiam illud suadere videtur, quod vocabula καὶ βιάζειν in Palatino ante verba, in reliquis libris post verba ἐν ταῖς ὁδοῖς extant; deinde intercidisse credo μὴ ’ϑέλειν vel aliquid simile. Rescribo igitur: καὶ εὖ ποιήσας μεμνῆσϑαι φάσκειν· καὶ τὰς διαίτας κρίνειν μὴ ’ϑέλειν τοῖς ἐπιτρέψασι. Quodsi βιάζειν ἐν ταῖς ὁδοῖς vereris plane abiicere, nondum contigit ut probabilius invenirem, quam: καὶ φράζειν βαδίζων ἐν ταῖς ὁδοῖς τὰς διαίτας μὴ κρινεῖν τοῖς ἐπιτρέψασι, „et ambulans in viis dicit iis, qui sibi arbitrium detulerunt, se eorum lites nolle disceptare;“ sic hominis importunitas etiam in eo versaretur, quia quasi praeteriens negaret quod data opera esset oblatum.

In extremo capite, ubi scribendi ratio importuna describitur, qua uti superbus solet, pro καὶ ὅπως ἄλλως μὴ ἔσται scribendum videtur: κ. ὅ. μὴ ἄλλως ἔσται, quae collocatio, ni fallor, legitima est.

V.

Ignaviae (c. XXV.) cum multae sint species sive potius opportunitates, Theophrastus satis habuit duas eligere, quae eius luculentissimum spectaculum idemque risui movendo aptissimum praebere solent, alteram navigantis, alteram militantis. Atque navigantis meticulosum animum ita describit, ut legenti duplex obiiciatur mora. Postquam enim commemoravit ab ignavo navigante tum promontoria conspecta pro navibus piraticis haberi, tum tempestate vel minima oborta quaeri, num forte unus navigantium initiatus non sit, sic pergit: καὶ τοῦ κυβερνήτου ἀνακύπτων μὲν πυνϑάνεσϑαι εἰ μεσοπορεῖ, καὶ τί αὐτῷ δοκεῖ τὰ τοῦ ϑεοῦ, καὶ πρὸς τὸν παρακαϑήμενον λέγειν ὅτι φοβεῖται ἀπὸ ἐνυπνίου τινός, καὶ ἐκδὺς διδόναι τῷ παιδὶ τὸν χιτωνίσκον, καὶ δεῖσϑαι πρὸς τὴν γῆν προςάγειν αὐτόν. Hic igitur pro ἀνακύπτων μὲν, quod in uno est Palatino, cum reliqui omnes libri ἀνακόπτοντος scriptum praebeant, quaeritur utra scriptura praeferenda sit. Me ut cum Palatino faciam, hae movent rationes; primum enim cum quaecumque meticulosus facere et quaerere narratur, *post tempestatem ortam* facere et quaerere dicatur, non opus erat singularis rei ab gubernatore factae significatione, quae cum fiat ignavum moveat ut quaerat, εἰ — τοῦ ϑεοῦ; dein ἀνακόπτειν neque probari potest significare „mutare cursum“, quem ei significatum tribuit Casaubonus, neque si „inhibere navis cursum“, significat, id quod Astius vult, satis patet, quid sit quod ex inhibente potissimum cursum gubernatore quaerat non tantum num medium cursum teneat sed etiam quid de coelo ei videatur. Contra ἀνακύπτων „caput erigens s. exerens“ non mediocriter convenit in eum, qui ex metu tandem se ita

35) *Demosth.* c. Apatur. 898, 6.

recipit, ut audeat in puppi sedentem gubernatorem adspicere et ex eo quaerere. — Quod autem ei, iuxta quem sedet, ex insomnio aliquo sibi metum iniectum esse dicit, fingit ille sine dubio insomnii memoriam, ut metum scilicet excuset, quem iam ostendit. Quid vero est, quod tunicam exuit et exutam pedisequo reddit? Casaubonus quidem id propterea credit eum facere, ut ad natandum, si navis frangatur, paratior sit. Sed in hunc nostrum meticulosum eo minus convenit natandi vel potius talis consilii audacia, quo magis statim rogat, ut se in terram exponant. Itaque, ni fallor, exuta tunica ad averruncandum insomnium olim pertinere putabatur; ut igitur persuadeat reliquis navigantibus id quod simulet sibi fuisse insomnium, id facit, quod eius averrucandi caussa facere tum solebant.

Sic descripta navigantis ignavia transit Theophrastus ad militantis, in qua pertractanda cum pleraque Fossius [36]) praeclare expediverit, unus est locus, in quo mihi non satisfecerit: καὶ στρατευόμενος δὲ πεζῇ ἐκβοηϑοῦντάς τε προςκαλεῖν κελεύων πρὸς αὐτὸν πάντας πρῶτον περιιδεῖν, καὶ λέγειν ὡς ἔργον διαγνῶναί ἐστι, πότεροί εἰσιν οἱ πολέμιοι. Ita Palatinus, καὶ στρατευόμενος δὲ προςκαλεῖν πάντας πρὸς αὐτὸν καὶ στάντας πρῶτον περιιδεῖν κ. τ. λ. reliqui libri. Mitto quae alii excogitarunt, ut integritatem loci restituerent, sed Fossius servata ceteroquin Palatini scriptura coniecit: κελεύων πρὸς αὐτὸν στάντας πρῶτον περιιδεῖν, eaque sic fere explicat: expeditioni vero terrestri si interest, commilitones auxilii ferendi caussa e castris egredientes ignavus, proelii nondum particeps, sed cum suo ordine post aciem constitutus, ad se vocat iubetque eos prope se stantes primum circumspicere, quo melius ab amicis hostes procul pugnantes dignoscere valeant; eam vero rationem simulari tantum ab ignavo, ut dissimulet veram; veram enim rationem, cur illos prope se stare iubeat, non esse aliam quam vulgarem timidorum ratiocinationem eo minus periculi sibi fore putantium, quo plures constipati sint. In hanc sententiam quo minus discedam, quattuor fere rationes sunt quae me retineant. Primum enim vix opus erat addito πεζῇ vocabulo, si eo nihil aliud quam terrestris militia significaretur, cum solum στρατευόμενος iam ita per se de eo militiae genere dicatur, ut ubi navalis militia intellegenda sit, id singulari quodam verbo addito significari oporteat; ei argumento nihil tribuerem, si hic sibi navalis et pedestris militia opponerentur; cum navigatio et militia sibi opponantur, ne hoc quidem argumentum neglegendum videtur. Deinde mirum est in quo quidem cardo caussae versetur, participio, notionem vero secundariam infinitivo efferri, dicit στάντας περιιδεῖν, quod contra debebat dicere στῆναι περιιδόντας; neque πρὸς αὐτὸν στάντας sed παρ’ αὐτὸν στάντας dicendum erat. Tum πρῶτον vocabulo nihil est quod tamquam alterum respondeat. Postremum ignavus ille prae metu necesse erat desipere et iuramenti militaris oblivisci coepisset, si commilitones expectabat futurum esse ut tantum sibi tribuerent, ut iuxta se neque eo quisque loco starent, quo ab ducibus essent collocati. Ita abiecta Fossii coniectura aliud est excogitandum; coniicio igitur meticulosum hunc pedestri exercitui interfuisse et stipendia inter hoplitas sive inter milites gravis armaturae fecisse; eundem credo ab f[illegible]ntariis equitibus, quorum erat non tantum lacessere hostes proeliumque incipere et fugientes persequi, sed cives etiam et pugnantes tueri et fugientes servare, sicuti cum Atticus exercitus Delio refugeret, Alcibiades eques Socratem et Lachetem pedites servaturus erat [37]), ab his igitur petivisse, ut ad se primum omnium circumspicerent; ut nihil igitur neque antiquius neque prius haberent, quam

36) Comm. I, 32 sqq. II, 35 sqq. 37) *Plat.* Sympos. p. 221, b.

ut se periculo eriperent; sed quoniam veram caussam, cur in se primum omnium intueri eos vellet, non audebat dicere, falsam simulabat: difficile esse dignosci ab civibus hostes, ideoque metuendum et illis esse ut ab ipso, sibi vero ut ab illis pro hostibus haberentur. Hinc rescribendum puto: *καὶ στρατευόμενος δὲ πεζῇ ἐκβοηθοῦντας ἱππέας προσκαλεῖν, κελεύων πρὸς αὐτὸν πάντας πρῶτον περιιδεῖν κ. τ. λ.*

Sed iam satis est. Neque enim volumus diutius vos retinere ab epularum exquisitissimarum adspectu, quas apud nos instructas paratasque vobis fore quae sequuntur tabulae promittunt. Verbum igitur unum hoc addam: ut fames cibi et potionis sitis optimum condimentum est, ita haec artium et litterarum coena convivam non saturum sed desiderio doctrinarum et artium flagrantem postulat. Valete.

D. Halis Saxonicis a. d. XII. Calendas Martias MDCCCXXXXII.

INDEX SCHOLARVM

IN VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCL.

A DIE XV. APRILIS VSQVE AD DIEM XIV. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

HALAE

TYPIS HENDELIANIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRORECTOR

MAVRITIVS HERMANNVS EDVARDVS MEIER

CVM SENATV

S. D.

C I V I B V S   S V I S.

Theophrasti morum notationes, quas iam ter[1]) apud vos, cives optimi, aliquot scri-
pturae mendis liberare conati sumus, hac scribendi sive opportunitate oblata sive necessitate
imposita perlustrare iterum nobis animus est, ut, si quo in loco aliorum nos industria aut
plane destituerit aut minus nobis satisfecerit, sive incorrupta quae essent, immerito in cor-
ruptelae suspicionem vocarint, sive corrupta quae essent, vel pro incorruptis habuerint vel non
recte emendarint, ipsi periclitaremur, quid ad emaculandum aureum libellum a nobis quoque
conferri posset. Sumpsimus autem nobis nunc pertractandos quattuor characterismos *ὀλιγαρχίας*,
ὀψιμαθίας, *κακολογίας* et *φιλοπονηρίας*, in quibus vel emendandis vel explicandis Fossii mei
acumen et doctrina nuper excelluit editis tribus commentationibus Theophrasteis[2]). Initium
autem facimus ab *ὀλιγαρχίας* notatione. *Ὀλιγαρχίας* vocabulum cum alioquin *πολιτείαν* s.
κατάστασίν τινα, id est temperamentum quoddam reipublicae significet, in quo quidem civita-
tis iura pleraque omnia ita ex censu descripta sunt, ut omnis potentia penes ditiores sit, hi
soli magistratibus fungantur, cum imperiis sint, in senatum perveniant, iudicia exerceant, re-
liquus populus non secus atque capite censi contemnantur (cf. ut his utamur, Thuc. 8, 64.
68. 72. Plat. de rep. 8. p. 550. Politic. p. 291, extr. Aristotel. Politic. 4, 5. al.) hoc
loco, ut pote qui libri est, qui pravorum morum notationes continet, animi quoddam vitium
significet necesse est, et eius quidem animum, qui despicit plebem, in pauperiores super-
bit, divitibus et optimatibus omnia arrogat. Illa insolentia quam acerba visa esset Athe-
niensibus tam diu populari imperio usis, animadvertere licebat ipsi Theophrasto, cum per An-
tipatrum subacta Athenarum urbe, et duodecies mille pauperioribus civibus solum vertere co-
actis paucorum dominatus institutus esset, sublatus ille quinto decimo demum anno, postquam
esset impositus (duravit ab Ol. 114, 3. usque ad Ol. 118, 2.). Verbo autem illi qui de scripto-
ribus graecis praeter Theophrastum eundem tribuerit significatum, habemus neminem. *Ὀλιγαρχίας*
iam finitio, qualem libri praebent, *δόξειεν ἂν εἶναι ἡ ὀλιγαρχία φιλαρχία τις ἰσχυροῦ* (Cod.
Palat. *ἰσχυρῶς*) *κέρδους γλιχομένους*, sordibus inquinata est, quas nondum cuiquam contigit ut
plane elueret; nam ut missis coniecturis Casauboni *ἰσχυρὰ κέρδους οὐ γλιχομένη* (vel *γλι-*

---

[1]) Prooem. Ind. Schol. 1830. 1834—35. 1842.   [2]) Huc pertinent imprimis Comm. II. quae a. 1835 et Comm. III. quae a. 1836 edit. est.

χομένου), Pavi ἰσχυροῦ κράτους γλιχομένων (vel γλιχομένῃ), Reiskii ἰσχυρὰ κράτους γλιχομένη rescribentium, quas iam ab aliis satis refutatas esse arbitramur, in una subsistamus Schneideri, Blochii, Astii correctione, qui ἰσχυρῶς κράτους γλιχομένη in verborum ordinem receperunt, haec quoque duobus nominibus displicet; neque enim verba κράτους γλιχομένη novam quandam notam addunt, quae non in ipsa φιλαρχίᾳ suapte sponte inest, neque honorum captandorum studium sive φιλαρχία oligarchiae erat sed φιλοτιμίας potius. Ei igitur ulceri alia quaerenda medicina est, quam ne nos quidem probabilem afferre possumus. Erat cum φιλεταιρίᾳ ἰσχυρῶς κέρδους γλιχομένη coniiceremus; nam hetaerias satis constat Athenis ab optimatibus imprimis iuvenibus institui solitas esse ad populare imperium evertendum coniurantibus, neque alias ullas hetaerias fuisse, quam quibus illud propositum fuerit consilii. Sed manum de tabula.

Ὁ δὲ ὀλιγαρχικὸς τοιοῦτος οἷος τοῦ δήμου βουλομένου τινὰς τῷ ἄρχοντι ἐπιμελησόμενος πομπῆς παρελθὼν ἀποφήνας ἔχει. Inter τοιοῦτος et οἷος Astius interposuit invitis libris: τις, quo facile careas, ut eo carent cc. 3. 9. 11. 30. Cod. Palat.: τοῦ δήμου βουλομένου τῷ ἄρχοντί τινας προαιρεῖσθαι τῆς πομπῆς τοὺς συνεπιμελησομένους παρελθὼν ἀποφήνας ἔχει, ὡς δεῖ αὐτοκράτορας τούτους εἶναι, κἂν ἄλλοι προβάλλωνται δέκα, λέγειν ἱκανὸς εἷς ἐστιν. Palatini accessionibus orationem reliquorum librorum vehementer mancam nonnihil fieri integriorem, quamquam vel illae ab integritate absint, et satis apparet et docuit Fossius (I, 35 sqq. II, 38 sqq.). Neque dubium quin tum προςαιρεῖσθαι recte sit ab Schneidero rescriptum, tum minus recte τοὺς ab Astio omissum. Sed ante ὡς δεῖ αὐτοκράτορας τούτους εἶναι aliquid ad integritatem deest, sive pro ἀποφήνας ἔχει cum Schneidero ἀποφήνασθαι, sive cum Fossio ἀποφήνασθαι ἔχειν reposueris. Nam αὐτοκράτορα εἶναι non significat, id quod Fossius secutus Bekkeri Anecdot. p. 465, 15. statuit, ἀνυπεύθυνον εἶναι, potestatem habere, cuius tibi non sit aliquando ratio reddenda, qua quidem potestate in libera civitate Athenarum et in populari imperio erat fere[1]) nemo, sed potius potestatem habere, quae non ita finita sit circumscriptaque legibus, plebisscitis, senatus consultis, ut quibus de rebus illic nihil fuerit cautum, de iis referre ad populum vel consulere senatum debeas; immo qui αὐτοκράτωρ est, eius arbitrio pleraque omnia relicta sunt, ut ei nihil quidem invitis legibus facere liceat, sed de quibus rebus taceant leges, de iis non referre ad quemquam debeat sed agere possit ex suo arbitrio; erat igitur id, quod Galli vocant „avoir des pleines pouvoirs“ „être plenipotentiaire“. Sic Thuc. 1, 125. τὸ πᾶν αὐτοκράτορσι διαθεῖναι ᾗ ἂν ἄριστα διαγιγνώσκωσιν. Demosth. (?) c. Neaer. 1372, 24. οὐ γάρ αὐτοκράτορές εἰσιν Ἀθηναίων τινὰ ὡς ἂν βούλωνται κολάσαι. Schol. Thuc. 5, 127. ἄνδρας ὀλίγους ἀρχὴν αὐτοκράτορας.] ἀνάθεσιν τῶν ὅλων πραγμάτων ἔχοντας. Eam potestatem poterat sane populus omnibus permittere magistratibus, atque tribuit aliquando novem archontibus (Thuc. I, 126.), aliquando senatui quingentorum (Andocid. de myst. p. 8. §. 15. Corp. Inscr. Gr. n. 76. ἄχρις συναγωγῆς δὲ τῶν λογιστῶν ἡ βουλὴ αὐτοκράτωρ ἔστω), imprimis, et id quidem satis frequenter, legatis et imperatoribus (Thuc. 5, 45. αὐτοκράτορες ἥκουσι περὶ πάντων ξυμβῆναι. Xenoph. h. Gr. 2, 2, 19. al.), sed curatoribus ludorum non admodum credibile est eam concessam esse. Accedit quod populo, qui curatores additurus erat praetori, ille optimatium studiosus ita se recte opponeret, si eam ad rem uno praetore satis esse diceret; sed ὡς δεῖ αὐτοκράτορας τούτους εἶναι ei demum rogationi opponi potuisset, si quae fuisset de circumscripta potestate lata. Itaque quaedam intercidisse apparet, in hunc fere modum supplenda; nam verba ipsa non praestamus: οἷος τοῦ δήμου βουλομένου τῷ Ἄρχοντί τινας προςαιρεῖσθαι τῆς πομπῆς τοὺς συνεπιμελησομένους παρελθὼν ἀποφάναι, [καὶ πρέσβεις ὅταν ἀποπέμπεσθαι δέῃ, κελεύειν] ἔχειν, ὡς δεῖ αὐτοκράτορας τούτους εἶναι, κἂν ἄλλοι

[1]) „Fere“ diximus, quod ne Areopagitae quidem plane ἀνυπεύθυνοι erant.

προβάλλωνται „δέκα“, λέγειν, Ἱκανὸς εἷς ἐστιν. Scripsimus Ἄρχοντι littera maiuscula, ut praetorem eponymum significari intellegatur. Pompae autem cum Athenis multae quotannis haberi solitae sint, ut Eleusiniis, Liberalibus magnis, Lenaeis, Thargeliis, Oschophoriis, Pyanopsiis, Scirophoriis, Bendidiis aliisque sollemnibus, nulla tamen illustrior erat quam pompa Panathenaeorum magnorum; eam igitur hic quoque innui arbitramur; hanc aliquamdiu quidem Nomophylaces ducebant (Polluc. 8, 94. τὴν δὲ πομπὴν πέμπουσι τῇ θεῷ), quos probabile est ab Demetrio demum Phalerensi in civitatem receptos esse (cf. Boeckh. Ueb. d. Atthis d. Philochor. p. 26 sq.); ante Demetrii tempora qui magistratus duxerit, non constat, neque quidquam caussae est, cur eam ab praetore eponymo ductam esse negemus. Erant sane Panathenaeis curatores s. ἐπιμεληταὶ *sortito facti*, denario, ni fallimur, numero (Demosth. Phil. I, 50, 3.), verum illi ἑορτῆς quidem et θυσίας, non autem πομπῆς procurationem habuerint; non fuerit igitur inepta rogatio de curatoribus pompae ducendae praeficiendis. — Παρελθὼν ἀποφάναι est surgit ille *negatque iis opus esse*. —

Sequitur καὶ τῶν Ὁμήρου ἐπῶν τοῦτο ἓν μόνον κατέχειν ὅτι Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοιρανὸς ἔστω, τῶν δὲ ἄλλων μηδὲν ἐπίστασθαι. Non solebant Athenis neque optimates neque qui favebant optimatibus, earum litterarum, quae ad humanitatem pertinent, adeo rudes esse, ut praeter unum illum versum Homeri nihil eius scirent; nam Cimonem si vera narravit Stesimbrotus Thasius οὔτε μουσικὴν οὔτε ἄλλο τι μάθημα τῶν ἐλευθερίων καὶ τοῖς Ἕλλησι ἐπιχωριαζόντων ἐκδιδαχθῆναι (Plut. Cimon. 4.), illud fortasse ex iniquitate fortunae est explicandum, qua Cimone puero omnis domus conflictabatur, ex quo eius pater Miltiades propter magnam mulctam in carcere et in vinculis erat; nam ceteroquin demagogorum potius quam optimatium erat οὐδὲ μουσικὴν ἐπίστασθαι πλὴν γραμμάτων καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς (Aristoph. Eq. 189.) Itaque post κατέχειν intercidisse videtur: λέγειν. Iactabat ille quidem per insolentiam ex Homeri carminibus nihil se praeter eum unum versum scire, non autem nesciebat.

Ἀμέλει δὲ δεινὸς τοῖς τοιούτοις τῶν λόγων χρήσασθαι, „ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἡμᾶς συνελθόντας περὶ τοῦτο βουλεύσασθαι καὶ ἐκ τοῦ ὄχλου καὶ τῆς ἀγορᾶς ἀπαλλαγῆναι καὶ παύσασθαι ἀρχαῖς πλησιάζοντας“. Ex Palatino libro tum accesserunt αὐτοὺς et περὶ τοῦτο, quibus carent reliqui libri; tum editum est πλησιάζοντας, cuius loco in reliquis est πλησιάζειν. Illorum et αὐτούς, quod significat „seorsum, separatim ab reliquis civibus“ et πλησιάζοντας sine dubio vera sunt; contra περὶ τοῦτο vehementer displicet. neque verius est περὶ τούτων quod Rehdigeranus liber praebet, aut περὶ τούτου quod Schneiderus, Astius, alii de coniectura reposuerunt; nam neque in iis, quae antecedunt, significata est res, ut commode „*illa* de re“ dici potuerit, neque oligarchicus una tantum de re sed de plerisque omnibus concilia separata a plebe haberi voluerit. Fortasse latet in περὶ τοῦτο aliqua loci significatio, veluti ἐν παραβύστῳ. Verba autem καὶ ἐκ τοῦ ὄχλου κ. τ. ἀ. ἀπαλλαγῆναι arctius sunt cum superioribus coniungenda atque ab iis quae sequuntur separanda. Verbis καὶ παύσασθαι ἀρχαῖς πλησιάζοντας significatur, popularibus hominibus aditum ad magistratus praecludi oportere; sed deest ad integritatem loci eorum significatio, qui sint praecludendi, veluti τοὺς πολλούς, τοὺς ἄλλους. Iam omnis locus sic erit refingendus: Δεῖ αὐτοὺς ἡμᾶς συνελθόντας ἐν παραβύστῳ βουλεύσασθαι καὶ ἐκ τοῦ ὄχλου καὶ τῆς ἀγορᾶς ἀπαλλαγῆναι, καὶ παύσασθαι τοὺς πολλοὺς ἀρχαῖς πλησιάζοντας.

Qui sequitur locus: καὶ ὅτι ὑπὸ τινῶν ὑβριζόμενος εἰπεῖν, Δεῖ αὐτοὺς κἀμὲ τὴν πόλιν οἰκεῖν, in Palatino sic est scriptus: καὶ ὑπὸ τούτων αὐτὸς ὑβριζόμενος ἠτιμομένος ὅτι ἢ τούτους δεῖ ἢ ἡμᾶς οἰκεῖν τὴν πόλιν. Mittimus, quae superiores editores excogitarunt; verum Fossius (I, p. 36 sq.) coniecit: καὶ ὑπό του τῶν [δημο] τικῶν αὐτὸς ὑβριζόμενος ἢ ἠτιμωμένος εἰπεῖν ὅτι ἢ τούτους δεῖ ἢ ἡμᾶς οἰκεῖν τὴν πόλιν. Nobis quidem satius videtur utramque scripturam Palatini et reliquorum librorum ita conciliare: καὶ ὑπὸ τινῶν τούτων ὑβριζόμενος ἢ ἀτιμούμενος εἰπεῖν, ὅτι ἢ τούτους δεῖ αὐτοὺς ἢ ἡμᾶς

οἰκεῖν τὴν πόλιν. Cum nostra ex coniectura τοὺς πολλοὺς vel aliquid simile praecesserit, ad illos spectaverint verba ὑπὸ τινῶν τούτων; αὐτοὺς etiam hic est „separatim".

Καὶ τὸ μέσον δὲ τῆς ἡμέρας ἐξιὼν **καὶ τὸ ἱμάτιον ἀναβεβλημένος** καὶ μέσην κουρὰν κεκαρμένος καὶ ἀκριβῶς ἀπωνυχισμένος σοβεῖν τοὺς τοιούτους λόγους. Quae diductis litteris scripta sunt, ex Palatino accesserunt; de illarum accessionum fide non est quod dubites, nisi quod καὶ post ἐξιὼν displicet, quippe qua particula id participium eodem loco esse iubeatur, quo quae sequuntur participia perfecti; ea autem satis apparet diverso loco esse atque illud; neque est in illa vicinia ter repetitae particulae dissimile veri καὶ temere hic esse additum. Post λόγους Astius interponit: λέγων, consuetudo autem Theophrasti commendat potius: εἰπὼν vel ποιησάμενος. Ceterum meridie demum exit oligarchicus, ut ea quoque re segreget se a popularibus hominibus, qui πληθούσης ἀγορᾶς in forum itabant.

Διὰ τοὺς συκοφάντας οὐκ οἰκητέον ἐστὶν ἐν τῇ πόλει, καὶ ὡς ἐν τοῖς δικαστηρίοις δεινὰ πάσχομεν ὑπὸ τῶν δικαζομένων. Hic ὡς suspicionem movit Astio, sed defenditur satis quater mox repetitis καὶ ὡς, unde apparet ne hic quidem ὡς esse cum δεινὰ coniungendum, sed significare i. q. ὅτι. Gravius est, quod verba illa si sana sunt, intellegi nequeunt nisi de iniuriis, quibus *iudices* ab *litigantibus* afficiuntur, quae quales sint et quatenus in optimates iudices magis cadant quam in populares, vix dixeris; nam litigantium strepitum et convicia, de quibus erat qui cogitaret, utut illa homini superbo fuerint ingrata, tamen ne superbiens quidem poterat δεινὰ πάσχομεν serio dicere. Schneiderus de coniectura scripsit: δικαζόντων, quod ab sententia satis est commodum; nam plebeios iudices in optimates litigantes iniquiores fuisse credibile est. Possit tamen non minore probabilitate scribi: δεινὰ πάσχομεν ὑπ' [αὐ]τῶν δικαζόμενοι, „ab sycophantis indigna in iudiciis patimur, quotiens litigamus". Sed unice verum mihi videtur: ὑπὸ τῶν **δεκαζομένων** „indigna patimur ab iis, qui donis corrumpi se patiuntur."

Quae proxime sequuntur, ita videntur ab Astio et Fossio esse redintegrata, quibus facile acquiescas: καὶ ὡς θαυμάζει τῶν πρὸς τὰ κοινὰ προσιόντων τί βούλονται, καὶ ὡς ἀχάριστόν [ἐστι τὸ πλῆθος καὶ ἀεὶ] τοῦ νέμοντος καὶ διδόντος. Dicitur hic νέμειν de *dando*, διδόναι de *offerendo*. In verbis autem καὶ ὡς αἰσχύνεται ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὅταν τις παρακάθηται αὐτῷ λεπτὸς καὶ αὐχμῶν offensioni est λεπτός, quod Astius de „paupere" intellegit; is vero vocis significatus non constat aliunde, neque propterea quod παχὺς saepe numero de divite est dictum, iam verum est λεπτὸν pauperem dici. Hinc malim: **λεπρὸς** καὶ αὐχμῶν „scaber et squalidus".

Καὶ εἰπεῖν, „πότε παυσόμεθα ὑπὸ λειτουργιῶν καὶ τῶν τριηραρχιῶν ἀπολλύμενοι". Hic Fossius (2, 40.) adiecit τῶν ante λειτουργιῶν, sed probabilius est articulum ante τριηραρχιῶν male additum quam ante λειτουργ. male omissum esse, si quidem illud saepissime usu venit, ut littera quae sit semel ponenda, bis, quae sit bis ponenda, semel scribatur; τῶν autem vocis notissimum compendium est: τ͂. Sed sola καὶ εἰπεῖν ieiunitate offendunt; certe magis consuetudini Theophrasti convenerit: καὶ εἰπεῖν δὲ δεινός. Ceterum trierarchiae quamquam etiam ipsae sunt liturgiarum in numero, hic tamen ut c. 23. ab liturgiis distinguuntur, quod inter has principem quendam locum tenebant, ut sit fere „cum ab *aliis* liturgiis tum imprimis ab trierarchiis." Sic, ut hoc utar, Isaeus de Cleonym. h. §. 16. οἱ τούτων φίλοι καὶ Κηφίσανδρος „et imprimis" Ceph.; cf. Schoemann. in h. l.

Καὶ ὡς μισητὸν τὸ τῶν δημαγωγῶν γένος, τὸν Θησέα πρῶτον φήσας τῶν κακῶν τῇ πόλει γεγονέναι αἴτιον. Satis probabiliter Fossius (2, 40 sq.) rescripsit: γένος, **καὶ** τὸν Θησέα πρῶτον **φῆσαι** τῶν κτλ. Quae sequuntur, τοῦτον γὰρ ἐκ ιβ' πόλεων καταγαγόντα λυθεῖσαι βασιλείαν καὶ δίκαια παθεῖν· πρῶτον γὰρ αὐτὸν ἀπολέσθαι ὑπ' αὐτῶν quorsum spectent, satis apparet ex iis quae cum alii tum Fossius l. c. disputarunt; sed probabilis via, qua corrupta emendentur, cum nondum sit monstrata, vide sitne locus in hunc fere modum redintegrandus: τοῦτον γὰρ ἐκ ιβ' πόλεων [τὸν δῆμον] καταγαγόντα [καὶ εἰς τὴν νῦν πόλιν

ξυνοικίσαντα, καὶ τὰ παρ' ἑκάστοις πρυτανεῖα καὶ βουλευτήρια κατα]λύ[σαντα, ἀφ]εῖ[ν]αι [τὴν] βασιλείαν [καὶ τὴν δημοκρατίαν καταστῆσαι καὶ τὸν ὀστρακισμὸν ἐπινοῆσαι] καὶ [ἀντὶ τούτων] δίκαια παθεῖν. πρῶτον γὰρ αὐτὸν ἀπολέσθαι ὑπ' αὐτῶν [τούτων]. Consideremus singula. Atque ab Theseo Atticos homines ex XII. antiquis oppidis ita in unam Athenarum urbem congregatos esse, ut sublatis illorum prytaneis curiis magistratibus Athenarum prytaneum curia et magistratus pertinere ad omnes iuberentur, satis habemus ut in re in vulgus nota testimoniis confirmasse Thucydidis (2, 15. καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τά τε βουλευτήρια καὶ τὰς ἀρχὰς — ἐς τὴν νῦν πόλιν ξυνῴκισε πάντας) et Plutarchi (Thes. 24. συνῴκισε τοὺς τὴν Ἀττικὴν κατοικοῦντας εἰς ἓν ἄστυ. — καταλύσας οὖν τὰ παρ' ἑκάστοις πρυτανεῖα καὶ βουλευτήρια καὶ ἀρχάς. — καὶ τὴν βασιλείαν ἀφεὶς. — διεκόσμει τὴν πολιτείαν). Theseum autem deposito regno omnium rerum potestatem populo dedisse et auctorem fuisse popularis civitatis — sic enim cum Cicerone (de rep. 1, 26.) eam appellare licet, in qua in populo sunt omnia — Atheniensium qui quidem illi reipublicae favebant, multi et credebant et tradebant; antiquissimum famae eius non auctorem sed testem habemus Euripidem (Suppl. 364.); post hunc nominandi sunt Isocrates (Panath. c. 50. §. 128.), auctores orationum c. Neaer. (p. 1370, 16. §. 75. Θησεὺς συνῴκισεν αὐτοὺς καὶ δημοκρατίαν κατέστησε.) et funebr. (p. 1397, 23. §. 28. Θησέα τὸν Αἰγέως πρῶτον ἰσηγορίαν καταστησάμενον τῇ πόλει), quae ad Demosthenem referuntur, Aristoteles (ap. Plutarch. Thes. 25. πρῶτος ἀπέκλινε πρὸς τὸν ὄχλον, ὡς Ἀριστοτέλης φησὶ καὶ ἀφῆκε τὸ μοναρχεῖν); hinc iactat auctor funebris orationis, quae Lysiae sub nomine circumfertur, (p. 77. §. 18.) antiquitate popularem civitatem Atheniensium praestare omnibus, et Isocrates (Panathen. c. 59, §. 148.) Athenienses mentitur per mille annos eo usos esse imperio. Neque omnino illa fama mira videbitur reputanti multa etiam et alia recens instituta ab Graecia mendace, quo augustiora viderentur, esse ad deos vel heroas auctores relata. Neque is rumor plane vanus erat, quamquam argumento vano utebantur, qui inde putabant esse explicandum, quod Homerus (Il. B, 547.) **δῆμον** Ἐρεχθῆος commemoravit. Namque civitates Graecae quo frequentiores erant, eo magis vergebant ad populare imperium; Theseus autem Athenas πολυανθρωποτέρους fecit. — Sed redeamus in viam. Ostracismum sive testularum iudicium Theseum et invenisse et primum ipsum esse passum ut hic commemoratum esse statuamus, suadet tum quod πρῶτον ἀπολέσθαι aliorsum referri nequit, tum quod Theophrastus idem in libro eo litteris mandavit, cui πρώτους καιρούς inscripsit [1]).

II.

Ὀψιμαθία sive sera eruditio non in eo versatur, ut senex addiscas quae antea ignoraveris; nam discenda etiam senem discere et γηράσκειν ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενον etiam apud Graecos ita honestum erat, ut turpis videbatur ignorantia, quam sui non poenitebat. Ὀψιμαθία autem et ab Theophrasto in vitiorum notationibus describitur, et ὀψιμαθεῖς sive „seri studiorum", ut Horatiano utamur (S. I, 10, 21.), ab aliis quoque scriptoribus non commemorantur, nisi cum opprobrii significatione, ut sint fere „ignorantes rerum, rudes, imperiti" (cf. Heindorf. in Horat. l. c.). Etenim ut παιδομαθεῖς in sua quisque arte optime faciunt (Quintil. I. O. I, 12, 9.), ita robusti et quibus iam obduruerunt ingenia male discunt, et quae aetate illa didicerunt, prave faciunt. Sunt igitur ὀψιμαθεῖς, qui ea viri aut senes discunt, quae

[1]) Cf. comment. *meam* de ostracismo in Encycl. Univ. Erschii et Gruberi III, 7. p. 177. not. 6. p. 180. not. 36. In novissimis καὶ τοιαῦτα ἕτερα πρὸς τοὺς ξένους καὶ τῶν πολιτῶν τοὺς ὁμοτρόπους καὶ ταὐτὰ προαιρουμένους apparet τοὺς-προαιρουμένους etiam ad τοὺς ξένους spectare; neque enim verisimile est talibus vocibus eum adversus *peregrinos quoslibet* uti, cum civibus autem iis tantum sic loqui, qui moribus et partium studiis ipsi similes sint.

neque apta sunt illi aetati nec disci cum fructu nisi ab pueris et adolescentibus possunt, unde fit ut artem et discentes et exercentes risum spectantibus moveant. Convenit iis, quae diximus, finitio Theophrasti, *Ἡ δὲ ὀψιμαθία φιλοπονία δόξειεν ἂν εἶναι ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν*, convenit unaquaeque nota *ὀψιμαθοῦς*, quae commemoratur. Earum prima est: *ὁ δὲ ὀψιμαθὴς τοιοῦτός τις, οἷος ῥήσεις μανθάνειν ἑξήκοντα ἔτη γεγονὼς καὶ ταῦτα ἄγων παρὰ πότον ἐπιλανθάνεσθαι.* Quod Palatinus praebet *ἑξηκονταέτης*, noluimus recipere, quod eo recepto tollendum esset *γεγονὼς* ut inutile et abhorrens ab consuetudine sermonis, illud autem tollere parum probabile. Pro *καὶ ταῦτα* recte Schneiderus Coraius et Astius reposuerunt *καὶ ταύτας*, pro *ἄγων* autem reliquorum librorum Palatinus *λέγων* praebet, Casaubonus vero *ᾄδων* Pavus, Fischerus, alii *ᾄσων* de coniectura reposuerunt; atque hoc iam propterea est abiiciendum, quia Atticorum est non *ᾄσων* sed *ᾀσόμενος*. Sed ne *ᾄδων* quidem ferri potest; nam *ῥήσεις* non canebantur sed recitabantur; hinc Theophrastus c. 15. opponit sibi *οὔτε ᾆσαι οὔτε ῥῆσιν εἰπεῖν*; hinc apud Aeschylum, Aristophanem, alios saepius reperitur *ῥῆσιν λέγειν*; Aristoteles (Poetic. 6, 12.) coniungit *ῥήσεις ἠθικὰς καὶ λέξεις*; Tzetza (de. different. poetar. in Mus. Rhenan. 1836. T. 4. p. 406. sq. vv. 123. 134.) *ῥῆσιν* unam dicit esse ex decem partibus tragoediae et eam quidem, in qua histrio quasi colloquatur cum spectatoribus iisque narret. Est igitur, ne multus sim, *ῥῆσις* longior quidem locus tragoediae verbis sententiisque imprimis moralibus illustris, quam pueri discebant et in conviviis assa voce recitabant. Itaque *λέγων* Palatini, quod Astius in verborum ordinem recepit et satis commode „inter recitandum" explicat, per se bonum est. Verum videndum, praestetne: *καὶ ταύτας ὧν παρὰ πότον ἐπιλανθάνεσθαι.* Ex *ας ὧν* sive *ΑΣΩΝ* ortum est tum *ΑΓΩΝ* tum *ΛΕΓΩΝ*, nam *Α* et *Λ*, ut *Σ* et *Ε* a librariis saepe confunduntur. —

Qui sequitur locus et ad exercitia militaria ab filio discenda pertinet, postquam in eo pro *ἐπ' οὐρανὸν* rescriptum est *ἐπ' οὐράν*, nihil iam habet offensionis: *Καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ μανθάνειν τὸ ἐπὶ δόρυ καὶ ἐπὶ ἀσπίδα καὶ ἐπ' οὐράν.* Eo pluribus difficultatibus laborant proxima, quae unus habet Palatinus: *καὶ εἰς ἡρῷα συμβάλλεσθαι τοῖς μειρακίοις λαμπάδα τρέχειν.* Nam primum nulla, quod sciamus, erant Athenis sollemnia, quae *ἡρῷα* dicerentur; dein lampadum cursus olim Panathenaeis tantum, Prometheis et Vulcaniis habebatur; accesserunt post Persica bella Panis sacrificium et circa Peloponnesii belli initia Bendidia, quae eodem cursu illustrabantur; alia sollemnia, quae illum habuerint cursum, non novimus. Denique *συμβάλλεσθαι* neque licet cum Schneidero, qui *τρέχων* rescripsit, de certando intellegere, quasi vero vetulus ille dicatur certare in lampadis cursu cum adolescentulis; nam ex sermonis usu sic *συμβαλεῖν τινι*, vel *συμβαλεῖν τινι μάχην*, non autem medium *συμβάλλεσθαι* dicitur, id quod iam monstravit Fossius (2, 43.). Neque magis proficias, si illud vocabulum, quae est eius usitatissima significatio, de stipis collationibus intellexeris; quid enim conferre symbolas ad sero eruditum pertineat, praesertim cum in cursum illum sumptus non cursores fecerint sed gymnasiarchi? Quid multa? scripserim: *καὶ εἰς Ἑώρας συνάλλεσθαι [τοῖς παισὶ καὶ συναιωρεῖσθαι, καὶ εἰς Παναθήναια σὺν] τοῖς μειρακίοις λαμπάδα τρέχειν*, nisi praestat *Παναθήναια τοῖς μειρακίοις λαμπάδα [δια]τρέχειν*, quod *διὰ* in compositis de certando dicitur. In *Ἑώρας* primum ut intercideret $\overline{\varsigma}$, fecit quod sequitur vocabulum, ab eadem littera incipiens; dein *Ἑώρα* ignotius abiit in satis vulgare *ἥρωα*. Pro *Συνάλλεσθαι* autem quam facile fuerit *συμβάλλεσθαι* ab incurioso scriba reponi, satis apparet. Denique quae intercidisse statuimus, per homoeoarcton interciderint; in his *εἰς Παναθήναια* posuimus, quod aliquod sollemnium nomen ponendum et Panathenaeorum lampadedromia celeberrima erat; alioquin licuisset etiam ponere: *Προμήθεια* vel *Ἡφαίστεια.* Tantum de verbis; de re pauca sufficiant. Etenim *ἑώρα*, quae scriptura non minus quam *αἰώρα* nititur librorum mss. auctoritate, quamquam Wyttenbachius hanc solam probat, sed *ἑώρα*, sive potius, si Pollucem (4, 55.) et Athenaeum (14, 618.) audis, *αἱ ἑῶραι*, nomen erat festi diei apud Athenienses, *ἑορτῆς Ἀθη-*

νῆσιν, quae etiam *Ἀλῆτις* ferebatur, in cuius sollemnibus pueri *ex adverso insidentes duabus extremitatibus trabis impositae transverso trunco aequalibus ponderibus se — invicem mutuae librationis reciprocatione sursum ac deorsum movebant*, ut Wyttenbachii verbis utamur. Egimus de eo oscillationis ludicro accuratius in Encyclopaedia Halana (III, 6, p. 251. sq.). Iisdem sollemnibus saltus dedisse pueros sua sponte est probabile neque ex *συμβάλλεσθαι* habemus quod eliciamus nisi *συνάλλεσθαι.* —

Ἀμέλει δὲ κἂν που κληθῇ εἰς Ἡράκλειον ῥίψας τὸ ἱμάτιον τὸν βοῦν αἱρεῖσθαι ἵνα τραχηλίσῃ. Herculis templa s. *Ἡράκλεια* non erant, quae est Schneideri sententia, duo omnino Athenis, sed in ipsa quidem urbe fortasse nulla, in reliqua autem Attica plurima (Plutarch. Thes. 35.). Fere enim suum quisque pagus *Ἡράκλειον* habebat, nisi quod quattuor quibusdam pagis commune erat *τετράκωμον Ἡράκλειον* (Steph. B. v. *Ἐχελίδαι.*); sic, ut his utamur, Melitensibus erat Hercules *ἀλεξίκακος*, Ploteensium *Ἡράκλειον* commemoratur in C. Inscript. Graec. 121. Verum ex omnibus Heracleis pagorum nobilissima erant duo, quorum alterum Marathone, alterum in Cynosarge erat (Harpocr. v. *Ἡράκλεια.* Herodot. 6, 116.); cum illo quodnam fuerint ludicrum certamen coniunctum, disce ex Boeckhii Explic. Pind. p. 193.; ab Heracleo Cynosargis non diversa fuisse videtur Herculis aedes in pago Diomiensium, cuius sollemnia significantur ab Aristophane (Ran. 663. *ὁπόθ' Ἡράκλεια τἀν Διομείοις γίγνεται*); nam Cynosarges non erat pagi sed gymnasii et adiacentis templi nomen, gymnasium autem illud in Diomiensium pago fuisse evicit C. O. Muellerus (in Leakii Topograph. Athenar. p. 460 sq. interpr. Rienaeckeri). Hinc *Ἡράκλεια* sive feriae Herculis, quae quarto quoque anno[1]), eoque, ni fallimur, secundo cuiusque Olympiadis, mense Scirophorione[2]) agebantur, non in urbe, sed rure et in pagis celebrabantur, et anno tantum Ol. 108, 2. propter metum Philippi, qui Thermopylis occupatis urbi infestus imminebat, Callisthene rogante in urbe agitata sunt[3]). —

Redeo in viam. In *κληθῇ* latere *κληρωθῇ* perspexit iam Fossius; sed deest nomen muneris, ad quod ille sortito pervenerit; hinc intercidisse arbitror: *κἂν που [ἱεροποιὸς] κλη[ρω]θῇ εἰς Ἡράκλειον*, ut in Corp. Inscr. Gr. no. 214. est: *οἱ λαχόντες ἱεροποιοὶ εἰς τὸ τῆς Ἥβης ἱερόν.* Reliquum est pro *αἱρεῖσθαι* rescribatur *αἴρεσθαι*; dicit enim Theophrastus: sicubi (i. e. si suo in pago) sortito factus est *ἱεροποιός*, bovem sursum tollit, ut collum eius retorqueat; neque enim *τραχηλίζειν* de palaestrae quodam artificio intellegendum, id quod Astius statuit, sed ad sacrificia referendum est.

Καὶ προςανατρίβεσθαι εἰπὼν εἰς τὰς παλαίστρας. Hic *προςανατρίβεσθαι* significare „certare cum aliquo" et pro *εἰπὼν* esse *εἰςιὼν* scribendum Astius perspexit, eorum autem requiri significationem, quicum *ὀψιμαθὴς* ille certet, Fossius (2, 45.) verissime statuit; sed quod post *παλαίστρας* intercidisse vult: *τοῖς νεανίαις*, ea de re secus iudicamus; nam ut adolescentium gymnasia ita puerorum erant palaestrae inque his instituebant *παιδοτρίβαι.* Quare malim: *καὶ [τοῖς παιδοτρίβαις] προςανατρίβεσθαι εἰςιὼν εἰς τὰς παλαίστρας.* —

Quae sequuntur „*Καὶ ἐν τοῖς θαύμασι τρία ἢ τέτταρα πληρώματα ὑπομένειν τὰ ᾄσματα ἐκμανθάνων*", eorum sententiam praeclare expedivit Fossius (2, 45 sqq.), nisi quod inter exhibendas illas praestigias esse etiam cantilenas cantatas non monstravit, et magis risum moverit vetulus, si ter quaterve praestigiis exhibendis interfuerit, non ut cantilenas, sed ut praestigiatorum *ἅλματα* s. saltus vel *κυβιστήματα* edisceret. Tale igitur quiddam exti-

[1]) Apud Polluc. 8, 106. *οὗτοι (οἱ ἱεροποιοὶ) ἔθυον θυσίας τὰς πενταετηρίδας — τὴν τῶν Ἡρακλείων* cum Meursio scribimus pro *Ἡρακλειδῶν.* Eo igitur ex loco apparet illa sollemnia quarto quoque anno solita esse agi; eum vero annum fuisse secundum Olympiadis inde colligi licet, quod ea novimus a°. Ol. 108, 2. esse celebrata.

[2]) Fallitur Boehneckius „Forschungen" I, p. 655., quod ex Stephano B. v. *Ἐχελίδαι* apparere scribit, quod nullo modo inde apparet, Heraclea non Scirophorione sed Hecatombaeone, Panathenaeorum tempore esse acta.

[3]) Demosth. f. l. 368, 11. 379, 28.

tisse hic coniecerim. — In proximis καὶ τελούμενος τῷ Σαβαζίῳ στεῦσαι ὅπως καλλιστεύσῃ παρὰ τῷ ἱερεῖ non minus caecutio quam reliqui; nam ne Fossio quidem opera successit in illis enodandis posita, qui etiam illud minus recte tradit, quod totum Sabazii, ut omnem Bacchi, cultum turpem et inhonestum dicit, quod cum illorum deorum sacris nocturnis, quippe quibus et viri et mulieres interfuerint, certamina pulcritudinis coniuncta fuisse eaque certamina explendis cupiditatibus inservisse vult.

Pluribus dicendum est de proxima et continente nota: καὶ ἐρῶν ἑταίρας (ita enim recte rescriptum est pro ἱέρας) κρίους προςβάλλων ταῖς θύ[ραις] πληγὰς εἰληφὼς ὑπ' ἀντεράστου δικάζεσθαι, ubi pro θυ... recte repositum esse θύραις dubitationem non patitur. Schneiderus non constare sibi dicit, κριοὺς sive arietes militares num Theophrasti aetas iam habuerit cognitos; fugit igitur eruditissimum virum, quod ex Diodoro (12, 28. c. n. Wessel.) et Plutarcho (Pericl. 27.) constat, τοὺς ὀνομαζομένους κρίους Periclem primum ad Sami obsidionem adhibuisse eosque ab Artemone Clazomenio fuisse factos. Verum quis umquam ab amica exclusus aedes eius arietibus adhibitis impugnavit? Certe non propterea, quod aliquando pauperes amatores admotis falcibus et bidentibus ruinam aedibus amicarum minitabantur, credibile est ad arietes descendisse vetulum istum. Hinc vide sitne rescribendum: καὶ ἐρῶν ἑταίρας, μὴ καιρίους, προςβάλλων ταῖς θύραις, πληγὰς εἰληφὼς ὑπ' ἀντεράστου, δικάζεσθαι. Amat vetulus scortum, exclusus aedes eius invehitur, in ea re deprehensus ab aemulo verberibus *non letalibus* i. e. *vulgaribus* excipitur; id tantum abest, ut ea animi aequitate ferat, quae illi lasciviae conveniat, ut aemulum in ius vocet atque sic risum hominum concitet. —

Quae sequitur nota „καὶ εἰς ἀγρὸν ἐφ' ἵππου ἀλλοτρίου ὀχούμενος ἅμα μελετᾶν ἱππάζεσθαι, καὶ πεσὼν τὴν κεφαλὴν κατεαγέναι“ nihil fere habet quod legentem moretur, nisi quod in scriptura Palatini κατοχούμενος praeter ὀχούμενος quoddam latere verbum videtur ab κατὰ incipiens, quod quale sit ignoramus; ἱππάζεσθαι autem esse „equum regere“ atque sic differre ab ἱππεύειν, quod sit „equo vehi“, docuit God. Hermannus (in Aristoph. Nub, 15.). Denique κατεαγέναι praesentis temporis notionem et medii vel neutralis verbi vim habere in vulgus notum est. — In proxima nota, quam unus praebet Palatinus, καὶ ἕνδεκα λιταῖς συνάγειν τοὺς μετ' αὐτοῦ συναύξοντας neque Schneideri λίτραις, quod ab Atticis moribus alienum est, neque Astii καὶ ἐν δεκάταις συνάγειν τοὺς μετ' αὐτοῦ ᾄσοντας vel αὐλοῦντας neque Fossii καὶ ἐν δεκάταις αὐληταῖς συνάγειν τοὺς μετ' αὐτοῦ συνάξοντας nobis satisfacit neque ipsi invenimus, quod placeret. —

Illam autem notam haec excipiunt: καὶ μακρὸν ἀνδρίαντα παίζειν καὶ πρὸς τὸν ἑαυτοῦ ἀκόλουθον διατοξεύεσθαι καὶ διακοντίζεσθαι καὶ ἅμα μανθάνειν παρ' αὐτοῦ ὡς ἂν καὶ ἐκείνου μὴ ἐπισταμένου, quae Palatinus sic exhibet: καὶ μακρὸν ἀνδρίαντα πέζειν πρὸς τὸν ἑαυτοῦ ἀκόλουθον, καὶ διατοξ. καὶ διακ. τῷ τῶν παιδῶν παιδαγωγῷ καὶ ἅμα μανθάνειν κτλ. Verissime hic docuit Fossius τῶν παιδῶν ante παιδαγωγῷ praemissum non esse insulsum additamentum, sed significare „*suorum puerorum* custodi“. Neque plane displicet, quod idem post μανθάνειν παρ' αὐτοῦ intercidisse statuit κελεῦσαι, secutus Reiskii iudicium, qui κελεύειν interponi iusserat, eaque significare voluit: a sese discere illum iubet, quasi etiam ille non calleat. Quamquam neque paedagogis Graecis eum constat fuisse sagittarum et iaculorum usum, ut ridiculus visus sit, qui ea de re dubitaverit, et illud quoque mirum videtur, quod Theophrastus significare si illud voluit quod putant, non scripsit ὡς ἂν καὶ ἐκεῖνον μὴ ἐπιστάμενον. Dissimile autem veri est, quod Fossius Coraium secutus πιέζειν de coniectura reponit idque interpretatur: „et magnam statuam ad pedisequum apprimens eaque tamquam scopo utens cum liberorum suorum paedagogo iaculo et sagittis certat“, etsi erat quoddam ludi genus, qui ἐφεδρισμὸς dicebatur, in quo, testis est Pollux (9, 119.), λίθον καταστησάμενοι πόῤῥωθεν αὐτοῦ στοχάζονται σφαίραις ἢ λίθοις. Nos primum παίζειν retinemus; neque enim quidquam caussae est, cur cum κύνα καὶ πόλιν παίζειν dictum sit (Pollux 9, 99.), μακρὸν ἀνδρίαντα παίζειν negetur dictum esse, quamquam quale id lusus genus fuerit, ignoramus. Dein rescripserim: καὶ ἅμα [γράμματα] μανθάνειν παρ' αὐτοῦ ὡς ἂν καὶ ἐκεῖνα μὴ ἐπιστάμενον. Quam proclive fuerit inter ἅμα et μανθάνειν omittere γράμματα, non opus est quod pluribus doceatur. Id autem profecto ridiculum est illa aetate litteras discere, quas pueris vel γραμματιστὴς sive litterator vel antequam huius in ludum mitterentur, iam paedagogus, si quis erudito utebatur paedagogo, tradere solebat. Ὡς hic dicitur non de simulata fictaque sed de vera ratione, neque significat „quasi vero“ sed „quippe cum, quia“.

In novissima nota „καὶ ὅταν ὦσι γυναῖκες, μελετᾶν ὀρχεῖσθαι, αὐτὸς αὑτῷ τερετίζων“ nos quidem ὦσι retinemus, pro quo Schneiderus παρῶσι, Astius ἴωσι, Fossius ἴδωσι scripserunt de coniectura; namque εἶναι nonnumquam legitur significatu verbi παρεῖναι, veluti apud Platonem (Protagor. p. 315, e. c. n. Astii); τερετίζειν autem non tantum de cicadum et hirundinum cantu dicitur sed etiam de sono citharae et tibiae (cf. Babr. 914.); hic, ni fallimur, significat vetulum tibiae sonum imitari.

III.

Maledicentiae Theophrastus hanc habet finitionem: Ἔστι δὲ κακολογία ἀγὼν τῆς ψυχῆς εἰς τὸ χεῖρον ἐν λόγοις. Hic Palatinus: ἔστι δὲ ἡ κακ., recte; nam sic Theophrastus fere semper, nisi quod etiam c. 13. et 18. omisit articulum; τῆς ψυχῆς Astius ut a librario male feriato profecta uncinis circumdedit, ratione usus fere nulla; neque apparet id cur hoc loco respuat, quod tulit c. 14. ἔστι δὲ ἡ ἀναισθησία-βραδύτης τῆς ψυχῆς ἐν λόγοις καὶ ἐν πράξεσι et c. 25. ἡ δειλία δόξειεν ἂν εἶναι ὕπειξις τῆς ψυχῆς ἔμφοβος. Merito autem offensioni est ἀγών, cuius loco Casaubonus ἀγωγή, Hottingerus ἀγωγὸν rescripsit; sed neutram vocem probari potest eo esse significatu, quo volunt, ut „propensionem animi“ indicet; quare coniecerim: ἀγωνία „contentio animi“. —

Ὁ δὲ κακολόγος τοιόςδε τις οἷος ἐρωτηθεὶς ὁ δεῖνα τίς ἐστιν. Quod reliqui libri post τοιόςδε τις interponunt ἐστί, recte id omittitur in Palatino, cum absit etiam a plerisque reliquorum characterismorum neque extet nisi c. 3. 29. 30. Etiam illud Palatinus recte, quod ὁ δεῖνα τίς ἐστιν praebet; nam τί ἐστιν, quod est in reliquis libris, quandam etiam eius qui interrogat, invidiam et malevolentiam indicaverit.

Οὐκοῦν δὲ καθάπερ οἱ γενεαλογοῦντες πρῶτον ἀπὸ τοῦ γένους αὐτοῦ ἄρξομαι τούτου· ἔστι δὲ ἡ γενεαλογία ἥδε. ὁ μὲν πατὴρ ἐξ ἀρχῆς Σωσίας ἐκαλεῖτο. Quae diductis litteris expressa sunt, ex Palatino accesserunt; huic etiam debentur ἄρξομαι et ἐξ ἀρχῆς Σωσίας, cum in reliquis extet ἄρξασθαι et inverso ordine Σωσίας ἐξ ἀρχῆς. Neque dubitari potest, quin tum ἄρξασθαι orationis in compendium redactae, ἄρξομαι autem potius sermonis ad vitam facti, tum verba καθάπερ οἱ γενεαλογοῦντες non ipsius obtrectatoris sed Theophrasti sint de eo narrantis. Apparet iam deesse ad integritatem orationis infinitivum cum οἷος coniungendum, veluti λέγειν, εἰπεῖν, ἀποκρίνασθαι. Quod autem Fossius (3, 4 sqq.) omisso οὐκοῦν δέ, quippe quod, sive sic sive οὔκουν δέ scribatur, difficilem explicatum habeat, rescripsit: εἰπεῖν, καθάπερ οἱ γενεαλογοῦντες, Πρῶτον ἀπὸ τοῦ γένους αὐτοῦ ἄρξομαι. τούτου ἐστὶ δὴ ἡ γενεαλογία ἥδε., id etsi ad sententiam satis aptum, parum tamen probabile est εἰπεῖν in οὐκοῦν δὲ abiisse. Itaque aliud quaerendum est, quod in οὐκοῦν δέ lateat, quo simul satisfiat desiderio infinitivi; nondum vero inveni, quod esset veri simile. Reliquis medeor transponendo τούτου verbo: πρῶτον ἀπὸ τοῦ γένους αὐτοῦ ἄρξομαι. ἔστι δὲ ἡ γενεαλογία ἥδε. Τούτου ὁ μὲν πατὴρ ἐξ ἀρχῆς Σωσίας ἐκαλεῖτο.

Ἐγένετο δ' ἐν τοῖς στρατιώταις Σωσίστρατος ἐπειδὴ δ' εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφη. Non satisfacit nobis Astii coniectura ἔπειτα pro ἐπειδὴ rescribentis, immo intercidisse vi-

detur apodosis fere haec: ἐνεγράφη, [Σωσίδημος ἐλέγετο], ut ter pater mutasse nomen dicatur. Primum enim servili nomine utebatur, itaque famulabatur; nam Σωσίας, ut contractum Σῶσις, apud Syracusanos quidem etiam liberorum hominum (cf. Krueger in Xenoph. Arab. I, 2, 9.), apud Athenienses autem servorum imprimis erat nomen, unde in Andria et in Hecyra Terentii personae sunt Sosia libertus, Sosia servus. Tum stipendia meruit idque fortasse inter calones aut inter levis armaturae milites, ad quod militiae genus nonnumquam, praesertim difficilioribus reipublicae temporibus, etiam servi admittebantur; sic libertatem vel populi vel domini sui beneficio consecutus, deposito nomine servili voluit eo se appellari, quod scimus liberorum hominum fuisse etiam apud Athenienses (cf. Ross Die attischen Demen p. 108.). Tertio mutavit nomen, cum, donis fortasse corrupto alicuius pagi tribuno, tabulis illius pagi sive lexiarchico grammateo inscriberetur; fecit illud, quo facilius fraus celaretur, qua ad civitatem pervenisset. Posuimus de coniectura Σωσίδημος, ut aliquod nomen poneremus; potuissemus etiam Σωσιγένης, Σωσίπολις, Σωσίθεος, Σωσικλῆς vel aliud nomen ponere, quod a Σωσι incipit; nam talia nomina significat patrem adamasse, memoria instinctum antiquae servitutis. Tantum de patre.

Ἡ μέντοι μήτηρ εὐγενὴς Θρᾶττά ἐστι. καλεῖται γοῦν ἡ ψυχὴ Κρινοκόρακα· τὰς δὲ τοιαύτας φασὶν ἐν τῇ πατρίδι εὐγενεῖς εἶναι. Obtrectator eo est acerbior, quod laudare ubi videtur, ibi maxime vituperat. Namque cum Thressae Athenis non fuerint nisi ancillae et ancillarum multae ipso Thressarum nomine sint dictae, quod matrem, „nobilem Thressam“ appellat, eo significat illam „nobilem esse ancillam“. Sed quae ex Palatino solo accesserunt καλεῖται γ. ἡ ψ. Κρινοκόρακα, prospero eventu nondum quisquam expedivit. Largior Fossio (3, 7.) nomen videri inesse, quod matrem significet corpore quaestum fecisse, largior eo quaestu Thressas Athenis infames fuisse, sed quod coniecit Κοινοκόρακα nihili est, neque apparêt, quid verbis ἡ ψυχὴ fiat; neque enim propterea quod ab amantibus amicae blandiendi caussa „animae“ et „animulae“ appellari solebant, maledicus ille sic de scorto commode dixerit. Hinc coniecerim: καλεῖται γοῦν ἡ φυλὴ Βινοκοράσια. Nisi hic quoque praestat ampliandi potestate usum dicere mihi non liquere. —

Αὐτὸς δὲ οὗτος ὡς ἐκ τοιούτων γεγονὼς κακὸς καὶ μαστιγίας. Ita Palatinus et recte; reliqui τούτων praebent et καὶ omittunt. — Quae sequuntur, silentio praetermittimus, sed in verbis „αὗται αἱ γυναῖκες ἐκ τῆς ὁδοῦ τοὺς παριόντας συναρπάζουσι καὶ οἰκία τις αὑτῇ τὰ σκέλη ἡρεῖσθαι· οὐ μὲν οἷον λῆρόν ἐστι τὸ λεγόμενον ἀλλ᾽ ὥςπερ αἱ γυναῖκες ἐν ταῖς ὁδοῖς συνέχονται primum pro codicis scriptura αὑτῇ Astius et Fossius: αὕτη, et pro ἡρεῖσθαι“ Schneiderus Astius et Fossius: αἵρεσθαι, quorum hoc probamus, pro illo scribendum putamus: αὐταῖς „domum aliquam habent, in qua scortentur“, dein malim: οὐ μέντοι οἷον λῆρός ἐστι τὸ λεγόμενον, ἀλλ᾽ [ἀληθῶς] ὥςπερ αἱ[κύνες, αὗται αἱ] γυναῖκες ἐν ταῖς ὁδοῖς συνέρχονται, quorum alia aliis debentur, a nobis et ἀληθῶς interpositum et συνέρχονται rescriptum est. Namque primum ἀληθῶς, quod inter ἀλλ᾽ et ὡς facile intercidere poterat, requiritur, ut oppositio magis appareat antecedentium λῆρός εστι. Dein συνέχεσθαι quod „adhaerescere, se applicare“ interpretantur et allato Lucretiano (4, 1197.) „in triviis — canes — validis Veneris compagibus haerent“ illustrant, in obscoenam partem esse acceptum non constat; certe quo Fossius utitur loco Luciani (Dialog. Mort. X, 12.), alienus est; magis ad rem appositis fuerit locus Machonis ap. Athen. XIII, 578. f. συνεῖχ᾽ αὐτὴν μόνος Γαμετῆς τρόπον γυναικός, sed ne is quidem probat quod volunt; συνέρχεσθαι autem de coeundo dici non est quod exemplis confirmetur. —

Ἀμέλει δὲ καὶ κακῶς ἑτέρων λεγόντων συνεπιλαμβάνεσθαι εἰπών, Ἐγὼ δὲ τοῦτον τὸν ἄνθρωπον πλέον πάντων μεμίσηκα· καὶ γὰρ εἰδεχθής τις ἀπὸ προσώπου ἐστίν, ἡ δὲ πονηρία οὐ ὅμοιον· σημεῖον δέ· τῇ γὰρ αὐτοῦ γυναικὶ τάλαντα εἰςενεγκαμένῃ ἡ προῖκα, ἐξ ἧς παιδίον αὐτῷ γέγονε, τρεῖς χαλκοὺς εἰς ὄψον δίδωσι καὶ τῷ ψυχρῷ λοῦεσθαι ἀναγκάζει

τῇ τοῦ Ποσειδῶνος ἡμέρᾳ. Hic ἀπὸ προςώπου Palat., ἀπὸ τοῦ πρ. reliqui libri; mox pro οὐ ὅμοιον Palatini, οὐδὲν ὅμοιον reliqui libri, unde τῇ δὲ πονηρίᾳ οὐδὲν ὅμοιον non pauci editorum de coniectura Schwarzii correxerunt; nobis commodissimum videtur pro οὐ rescribere: αὐτοῦ. Deesse ad integritatem orationis numerum talentorum cum sua sponte appareat, satis probabiliter Fossius rescripsit: τάλαντα εἰςενεγκαμένῃ ή προῖκα illamque verborum collocationem demonstravit non in reprehensionem venire. Sed non minore probabilitate statuas ἡ ex fine antecedentis vocabuli male repetitum esse, ante εἰςενεγ. autem intercidisse έ. Denique τῇ et ἡμέρᾳ, quorum illud unus Palatinus, hoc etiam reliqui libri praebent, cum Astio inducenda arbitramur, ut a librario profecta, qui eo additamento genitivum explicandum putavit.

IV.

Reliqui sunt duo characterismi anno demum MDCCLXXXVI. ab Amadutio ex codice Palatino editi, quorum Casaubonus solos indices noverat, quos quidem indices habet etiam Monacensis liber. Eorum priorem, qui est περὶ φιλοπονηρίας sive de voluptate, quae ex aliorum improbitate capitur, nunc pertractaturi sumus, alterum alii opportunitati reservamus excutiendum. Φιλοπονηρία non ipsa est improbitas, sed improbitati valde propinqua, eodem ex animo. unde haec, profecta, sed audacia carens. Neque enim ipse improbe agit, sed gaudet, si quae ab aliis improbe fiunt. In finitione igitur Ἔστι δὲ ἡ φιλοπονηρία ἐπιθυμία κακίας, vox ἐπιθυμία non est de „cupiditate“ sed de „voluptate“ accipienda. —

Ὁ δὲ φιλοπόνηρός ἐστι τοιόςδε τις, οἷος ἐντυγχάνειν τοῖς ἡττημένοις καὶ δημοσίους ἀγῶνας ὠφληκόσι καὶ ὑπολαμβάνειν ἐὰν τούτοις χρῆται, ἐμπειρότερος γενήσεσθαι καὶ φοβερώτερος. Hic primum Astius merito in suspicionem vocavit τοῖς ἡττημένοις καὶ δημ. ἀγ. ὠφληκόσι; offensioni enim esse et ἡττημένοις nude positum et ἀγῶνας ὀφλεῖν; quod autem coniecit „τοῖς ἡττημένοις δημοσίους ἀγῶνας καὶ ὠφληκόσι (mulctae damnatis)“ parum placet; nam sic locus ad eos solos spectaret, qui essent in iudiciis publicis damnati, neglectis iis, si qui privatis in iudiciis caussa cecidissent, quamquam etiam horum consuetudo debebat φιλοπονήρῳ grata esse; dein καὶ ὠφληκόσι aut praeter necessitatem esset additum, aut indicaret φιλοπόνηρον cum iis versari, qui in iudiciis publicis mulctae essent condemnati, eos autem non curare, quibus esset illis in iudiciis carceris vel infamiae poena irrogata, cuius quidem contemptus nulla probabilis ratio fingi potest. Quare scribendum arbitramur: τοῖς [δίκαις καὶ διαίταις] ἡττημένοις καὶ δημ. ἀγῶνας ὠφληκόσι; nam ὀφλεῖν etiam eum dici, qui in causa publica sit condemnatus, satis erit uno loco comprobare Demosthenis (c. Timocr. p. 732. §. 103. κἂν ἀστρατείας τις ὄφλῃ.). — Dein pro τούτοις scribendum videtur: τοιούτοις; ἐντυγχάνειν autem non hic significare „obviam fieri, convenire“, sed „uti aliquo, cum eo versari“ ex χρῆται apparet quod sequitur. Denique non habet offensionem, quod ἐμπειρότερος hic extat non addita rei memoria, in qua ille fiat peritior, quae ubi adiicitur, genitivo vel περὶ cum accusativo indicatur; nam illa etiam alibi omittitur, ubi ex cohaerentia orationis satis apparet. —

Sequitur locus, qui multas habet difficultates: Καὶ ἐπὶ τοῖς χρηστοῖς εἰπεῖν, ὡς γίνεται, καί φησιν ὡς οὐθείς ἐστι χρηστός, καὶ ὁμοίους πάντας εἶναι, καὶ ἐπισκῆψαι ὡς χρηστός ἐστι, καὶ τὸν πονηρὸν δὲ εἰπεῖν ἐλεύθερον. Hic pro φησίν Astius de Schneideri coniectura reponit: φῆσαι, dein ὡς γίνεται vult formulam esse extenuandi, tum Coraium secutus rescripsit: ἐπισκῆψαι ὅς χρηστός ἐ. h. e. ἐκείνῳ s. τούτῳ ὅς, postremum ἐπισκῆψαι interpretatur: „incessere, accusare, reprehendere“. At neque ὡς γίνεται illam habet extenuandi vim, et ἐπισκῆψαι si illo accipitur sensu, ieiunum videtur; magis aptum fuerit „σκῶψαι“, quod ab Coraio et Nastio est propositum. Nobis ampliandum videtur; neque enim admodum placent, quae ipsi excogitavimus: καὶ ἐπὶ τοῖς χρηστοῖς εἰπεῖν, ὡς οὐθείς ἐστι χρηστὸς καὶ ὁμοίους

πάντας εἶναι, καὶ ἐπισκῆψαι [*δὲ φῆσαι καὶ τὸν πονηρότατον, ἐὰν ἀπογένηται, ἐπὶ τὸ μνῆμα ἐπιγράψαι*] *ὡς χρηστός ἐστι κτλ.* „De probis dicit neminem esse probum, immo omnes sibi pares et mandare etiam improbum, ut si quid sibi acciderit, monumento inscribatur, se probum esse; qui autem improbus est, eum liberum dicit". Namque *ἀπογίνεσθαι* mitigata oratione de moriendo dici satis constat; vide, ut his utamur, Herodot. I, 136. Thuc. 2, 34. 5, 74. Lex. Rhet. 210, 22. Fato autem perfuncti plerique omnes in monumentis ut *χρηστοὶ* laudabantur; cf. Theophr. Char. 13.; neque in titulis sepulcralibus quidquam vulgarius est quam *ἥρως χρηστὲ χαῖρε*, aut addito nomine veluti *Παράμονε χρηστὲ χαῖρε* C. I. Gr. 1666. 2197. 2203. 2261. al.

Καὶ εὔνους δὲ εἶναι τῷ ἐν ἐκκλησίᾳ λέγοντι ἢ ἐπὶ δικαστηρίῳ κρινομένῳ. Absonum est *φιλοπόνηρον* omnibus favere, quicumque vel in concione verba faciat vel in iudiciis caussam dicat; immo eam benevolentiam illum contulisse par est tantum erga improbos; hinc pro *τῷ* scribe: *αὐτῷ*, nisi post *τῷ* aliquid intercidit, veluti *συκοφάντῃ*. Namque, quem *φιλοπόνηρος* ut *κύνα τοῦ δήμου* laudavit, eum apparet sycophantam esse atque *πονηρὸς* et *συκοφάντης* finitimi sunt (Demosth. c. Aristogit. I, 784, 28. §. 48. *συκοφάντου καὶ πονηροῦ.*). Pro *λέγοντι* fortasse praestat: *κινδυνεύοντι.* Dein scribendum: *δικαστηρίου*; sic Demosth. c. Theocrin. 1335, 2. §. 40. *ἐπὶ μὲν τοῦ δικαστηρίου καὶ τοῦ βήματος ἐχθροὺς εἶναι φάσκοντας ἀλλήλοις.* —

Καὶ προςκαθήμενος δὲ εἰπεῖν δεινὸς ὡς οὐ δεῖ τὸν ἄνδρα ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα κρίνεσθαι. Quid hic sibi velit *προςκαθήμενος*, quod de urbem obsidente dici solet, haud facile dixeris; fortasse latet in eo: *πρὸς τοὺς καθημένους δὲ εἰπεῖν δεινός*; dici enim *καθῆσθαι* de iudicibus et de concione satis constat; sic apud Demosth. Phil. II, p. 66. §. 4. *ὑμεῖς οἱ καθήμενοι* de hac, c. Theocr. 1329 18. §. 25. *τοὺς ὑπὲρ τῶν νόμων καθημένους* de iudicibus intellegendum est.

Καὶ εἰπεῖν ὡς οὐχ ἕξομεν τοὺς ὑπὲρ τῶν κοινῶν συναχθεσθησομένους, ἂν τοὺς τοιούτους προώμεθα. Hic *συναχθ.* quod Astius recte interpretatur, „reipublicae vicem doleant" minus aptum est, sed sine dubio scribendum: *συναπεχθησομένους* „qui reipublicae caussa simultates suscepturi sint"; Demosth. c. Aristog. 2, 807, 24. §. 24. *πᾶσιν ὑπὲρ ὑμῶν ἀπεχθάνεσθαι τοῖς φαύλοις.* —

Δεινὸς δὲ καὶ προστατῆσαι φαύλων. Fortasse intercidit: *μετοίκων.* Namque cum inquilinis cive patrono opus fuerit Athenis, pravi inquilini pravos cives patronos adoptabant, pravi cives patrocinium pravorum inquilinorum suscipiebant; hinc Isocrat. de pac. c. 17. §. 53. *τοὺς μὲν μετοίκους τοιούτους εἶναι νομίζομεν, οἵουςπερ ἂν τοὺς προστάτας νέμωσιν.* —

Sed haec quidem hactenus. Quod reliquum est, cives, scholis, quarum vobis indicem tradimus, ut diligentes intersitis, ut fructus inde referatis, quorum vos non poeniteat, ex animi sententia optamus.

D. Halis Saxonicis a. d. IV. Idus Martias MDCCCL.